MOMENTA RATIONUM DE UTILITATE *EXERCITIORUM* S. P. IGNATIJ DE LOYOLA.

A

P. MAXIMILIANO WIETROWSKI, Societatis JESU.

EDITIO SECUNDA.

Cum Licentia Ordinarij.

PRAGÆ, Typis Caroli Joannis Hraba, Annô M. DCC. XXV.

Camal. Salens.

Montis Argentini Eremitarum

REVERENDISSIMO
ET
AMPLISSIMO
DOMINO
WENCESLAO
WEIMLUWA,
Sacri ac Exempti Ordinis Ci-
ſtercienſis Celeberrimi Mo-
naſterij Fontis Beatiſſimæ
Virginis Mariæ
AD ZARAM
ABBATI,
Marchionatùs Moraviæ
PRÆLATO,
Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis
CONSILIARIO.

REVERENDISSIME

ET

AMPLISSIME

DOMINE

ABBAS.

SEmper *Magnos Viros, utpote conſvetum ipſorum Domicilium parit ſolitudo, ad quam illos* DEUS *evocat, ut familiariùs cum eis converſetur; dúmque illos à mundo ſeparat, nè vel perſecutionem ab eo patiantur, vel corrumpantur, ad ſtationem ſilentio & quieti conſecratam eos deducit,*

ſua illis arcana placita manifeſtaturus. In hac Schola docuit Prophetas, qui mundum univerſum inſtruerent: in hac Palæſtra illos exercuit, ut primùm ſe ipſos, ac poſtmodùm alios vincere aſueſcerent: In hoc theatro ſuam oſtendit potentiam, & maxima in beneficium ipſorum patravit miracula. In ſolitudinem attraxit Moyſem, ut rectam gubernandi populos artem condiſceret, tradita ei Lege ab omnibus Orbis Univerſi Nationibus recipienda. Eò evocavit Eliam, ut eum à furore Jezabelis eriperet, & ardentem pro ſua gloria tuenda Zelum inſpiraret. Eò denique Magnum Joannem Baptiſtam deduxit, ut Filij ſui Præcurſorem & Pænitentiæ formaret Prædicatorem. Reverendiſſime & Ampliſſime Domine Abbas, *nemo ignorat, Sacerrimum Ordinem Ciſtercienſem univerſum Cæleſtibus delicijs vitæ contemplativæ, cum ſuo melliſluo Bernardo intentum, & in*

amæ-

amœna Vallium solitudine melleo Angelorum pasci consortio.

Hujusmodi suavitatibus Religiosissimum Cœnobium tuum prope fontem Beatissimæ Virginis Mariæ, veluti lautissimis Paradisi dapibus reficitur, & non jam ex illo fonte manante rivo, sed torrente cœlestium voluptatum potatur; nè videlicet Virgineo Divinæ Matris Uberi asuetis Bernardi sectatoribus deesset fons Lacteus ejusdem Virginis & Matris, quæ suos in beata solitudine, divina contemplantes & Unigenito suo sibíque psallentes Filios nutriat & confortet. Gratulare Tibi Reverendissime & Amplissime Domine Abbas, Te *Patrem esse tam Sanctæ solitudinis à mundi strepitu segregatæ, ubi* Te *Duce, Filios* Tuos *velut Angelos Terrestres in splendoribus æterni solis defixos, indesinenter in sublimiora & sublimiora evolare vides, quorum affectus ignibus Divini amoris inflammas,*

mas, & luce divinarum ſcientiarum illuſtras, atque ità in Seraphinos & Cherubinos mortales trasformas. Quid igitur vetat Sanctæ ſolitudini ſanctam ſociare Solitudinem, ut ſolitudo una manum præbeat alteri & ambæ mutuo ſe amplexu confoveant? Unam honori Tuo *inſcribere audeo, in Opuſculo de utilitate Exercitiorum Spiritualium Sancti Parentis mei Ignatij. Scio equidem, nihil* Te *in eo reperturum novi, quod pridem neſcires, imò quod experientiâ propriâ non comprehenderes: ſed etiam non ignoro, quòd non tam novitatem, quàm ſolidam veritatem diligas, quæ Divina ſapit atque Cœleſtia,* Tibi Tuísque *Filijs chariſſimam. Ut verò ad beatam vitæ Religioſæ ſolitudinem alij adhuc inter mundi pericula fluctuantes invitentur, in altera hujus Opuſculi parte Vocationem Victorioſam Nomini* Tuo *dedico. Exercitia Spiritualia plurimos Ordini-*

nibus Religiosis Viros pepererunt insignes; & Vocatio Victoriosa permultos docuit superare obstacula, quibus eos fallax mundus abstrahebat, nè à periculoso tumultu sæculi se se extricarent. Hanc proinde alteri adjungo lucubrationi, veluti Matri Filiam, aut sorori sororem.

Dùm verò Sacras solitudines, Matrem & Filiam, commemoro, illico in mentem sua sponte venit alia quoque Sacra Cognatio, una solitudo Mater, altera solitudo Filia (neque enim Sacræ solitudines sunt adeò steriles, ut omnem suæ stirpis renuant propagationem) utraque Tibi, Tuóque *Sacro Cœnobio Zarensi Mater & Filia, utraque Cistercij Sacra solitudo.* Reverendissime & Amplissime Domine Abbas, *liceat hìc referre cum incremento gaudij* Tui Tuorúmque *Filiorum, propinquam hanc utriusque solitudinis Cisterciensis Maternam & Filialem conjunctionem.*

* *Sub Monte Viridi prope Oppidum Nepomucenſe in Bohemia, erat quondam Cœnobium Sacri Ordinis Ciſtercienſium celeberrimum & mater fæcunda Virorum Religioſiſſimorum: ex quo prodijt olim virtute illuſtris Dominus* Robertus, *qui ex Priore ibidem ad Infulam Epiſcopatus Olomucenſis in Moravia evectus, Eccleſiam ſuam Cathedralem S. Wenceslai, priùs Sacro Corpore Chriſti Martyris* Chriſtini, *aurea & pretioſa gemmis ornata Theca incluſo, poſtmodum Cruce pariter aurea duodecim pondo gravi, ſpecioſiſſimè ornavit & ditavit. De hoc etiam Cœnobio prodivêre Primus Abbas & primi Religioſi, qui in Monaſterio Fontis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, vulgò* Zara *vel* Sara *dicto in Marchionatu Moraviæ, primas Nepomuco fixêre Colonias: iſti in Nepomucena pietate, Religioſáque Ciſtercienſi obſervantia DEO famulantes,*

* *Ciſtercium bis Tert. Titul de Nepomuc.*

tes, se suósque Posteros in perpetua tempora Filij Nepomucensis Monasterij nuncupari & manere voluerunt, ac Monasterium hoc Zara dictum, Filiam Nepomuci esse profitebantur. Hinc Zara ex prima sua plantatione tantam cum Nepomuco habet cognationem, ut hactenus commune fuerit utrique, quidquid alterutri seu prosperum seu adversum acciderit.

Evênit subinde Nepomuci, quòd steriles Parentes S. Joannis Nepomuceni, in Ecclesia Monasterij S. Margaritæ Virgini & Martyri dedicata, votô ad DEIparæ Virginis ibidem Thaumaturgam Iconem (cujus hodiedum, veram effigiem Zara in Templo suo veneratur) emissô, sibi fæcunditatem & S. Joanni vitam & Nativitatem impetraverint, ac tandem etiam amissam ejus recuperaverint sanitatem. Ex hoc beneficio lætata est Ecclesia Nepomucensis, sed non minùs collætabatur Zara; quæ Joannis Nativitatem non tam parturienti Matri naturali, quàm Gratijs

Marianis Nepomuci obtentis, Matrem illam fæcundantibus adſcribens, jam inde ſororem ſeipſius cum gaudio agnoſcebat. Dum enim in puerilibus annis Joannem, (quem præſago lumine Cœleſti in ejus Nativitate DEUS ipſe Magnum fore oſtenderat) in ſinu Matris ſuæ, Eccleſiæ Ciſtercienſium quotidie commorantem, & angelico Miniſterio Miſſarum Sacrificijs deſervientem, prima Fidei rudimenta & ſanctarum virtutum inſtitutionem avidè haurientem videret, quis non crederet Zaram tunc ſæpius magno cum gaudio exclamare potuiſſe ad Joannem : O quis mihi dabit Te Fratrem meum ſugentem ubera Matris meæ !

Sed poſteaquam poſita jam Lucerna ſuper candelabrum, S. Joannes Nepomucenus virtutum ſuarum & miraculorum radijs totum Bohemiæ Regnum illuſtraverat, & in ſuo Martyrio teſtes Sanctitatis ſuæ, Cœleſtes faces

ces

ces ſtellásque denuo acceperat ; tum enim verò in Devotione Joannea, Zara Nepomucum æmulabatur, Filia Matrem, & ardentiſſimo affectu utraque ipſum proſequebatur tam diu, donec Huſitica ſuperveniente rabie, utraque ſimul ex odio Fidei Catholicæ fuiſſet exſtincta. Cùm autem poſt annos quadraginta veluti Phenix è ſuis cineribus reſuſcitata, iterum in lucem prodiviſſet Zara, & Matrem ſuam olim ſociam in rerum Natura non inveniſſet, nec ampliùs Nepomuci haberet Virum Ciſtercienſem, qui ad ſolemnitatem compareret ; ideo rurſus per pijſſimos Præſules (inter quos præcipui duo S. Joannis Nepomuceni Cultores commemorantur, nempe Joannes Theodoricus Abbas Zarenſis & Epiſcopus Nazarethanus, atque Wenceslaus Abbas quoque Zarenſis primus & Epiſcopus Nicopolitanus ac Suffraganeus Olomucenſis) in devotione Joannea ità inſtructa fuit, ut non tan-

tùm

tùm affectum fororium, verùm etiam Maternum Nepomuci deperditum voluerit Joanni compensare.

Nunquam tamen id mundo clariùs ostendit, quàm dum nuper sub Augustissimis auspicijs Caroli VI. Cæsaris, & Celsissimi Principis Ferdinandi è Comitibus de Khünburg Archi-Episcopi Pragensis, de S. Joanne Nepomuceno Sanctis asserendo Romæ ageretur, totáque Bohemia ad solemnissimos applausus se se præpararet: tunc enim Zara de felicissima sorte gaudijs tenerrimis Fratri suo congratulari cupiens, tanto in eum cultu ferri cæpit, ut visa sit voluisse stellas de cælo in ejus claritudinem in terras detrahere, atque Matrem Nepomucense Monasterium è profundis ruderibus in Societatem gaudij educere; & quamvìs neutrum posset, utrumque tamen ùt potuit, adumbravit. Nam & Joanni stellas contulit, dum in Monte sibi vicino, Nigra Silva *dicto, Templum & qunque*

que Capellas in forma stellæ, opere Gothico & eleganti ipsius honori extruxit & cõsecravit. Matrem quoque suam, Nepomucense Cœnobium, in se ipsa expressit, dum stellâ istâ illuminatâ Nigra Silva, *populari denominatione in* Montem Viridem *mutari, sibique hac ratione similitudinem & imaginem Nepomuci, quod æquè sub Monte Viridi situ͂ est, superinduci conspiceret, prout hodiedu͂ se intuetur*

Reverendissime & Amplissime Domine Abbas, *hæc sunt, ùt scio, deliciæ* Tuæ *in Sancta Cistercij* Tui *Zarensis solitudine, ubi Dilecti* Tui *S. Joannis Nepomuceni, cujus tenerrimo amori totus, cum toto Cœnobio* Tuo *deditus es,* Tuus Tuorúmque *Filiorum Zelus ocupatur & oblectatur. Fruere porrò in annos plurimos hac beata sorte, & gloriare de propagatione gloriæ* Tui, *cujus ipse totus es, S. Joannis Nepomuceni: & quia hic Magnus Sanctus è solitudine Cistercij prodivit, in eam spem venio, fore, ut æquo affectu solitudinem Ignatianam cum Vocatione Victoriosa suscipias, dum ego in perpetuum honoris* Tui *studiosissimus maneo & manebo*

Reverendissimæ & Amplissimæ
Dominationis Tuæ

Obstrictissimus Servus
Maximilianus Wietrowski, S. J.

FERDINANDUS WALDTHAUSER
Præpositus Vice - Provincialis Bohemiæ Societatis JESU.

CUm Libellum, cui Titulus: *Momenta Rationum de Utilitate Exercitiorum Sancti Patris Ignatij de Loyola, ex varijs Authoribus Societatis JESU collecta* à P. Maximiliano Wietrowski ejusdem Societatis; dictæ Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate à Patre Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali ad id mihi datâ, Facultatem concedo, ut Libellus typis mandetur. In quorum Fidem has Literas manu meâ subscriptas, & Officij mei Sigillô munitas dedi. Pragæ ad S. Clementem 25. Septembris, Annô 1699.

(L.S.)

FERDINANDUS WALDTHAUSER.

Ad Lectorem.

POst Absolutum secundum trienniũ in munere docendi Philosophiam, atque deCathedra Peripatetica ad suggestum Evangelicum transitu facto; placuit calamum à Philosophicis transferre ad cœlestia scribenda: unde in animo meo statui hunc ipsum libellum, quem manibus tenes, & oculis intueris, Lector humanissime concinnare de Utilitate Exercitiorum Spiritualium S.P. Ignatij de Loyola. Et nè magnitudine molis, te absterrerem à legendo; materiam amplissimam, in istam, quam hic vides, contrahere adnisus sum brevitatem. Accidit enim non raró, ut libri ab optimis licèt atque saluberrimis consilijs pretiosi, sola magnitudine, metum & nauseam provocent apud aliquos, eos præsertim, qui seu stomachô seu palatô ad Spiritualia vitiatô, terrenisque duntaxat asveti saporibus, maximè opus habent librô medicô. Sed alij quoque faciliùs certè, atque jucundiùs ad legendum assumunt non infructuosè, quando modicâ suâ mole, unicuique offert victoriam sui libellus. Horrorē ægro inferunt medicinæ, quan-

tita-

titate immodicæ; eas intereà si prudens Medicus in minutos globulos convoluat, etiam ægrotus non gravatè absumit ad salutem. Invenies in hoc Opusculo, & dignitatem, & utilitatem *Exercitiorum Spiritualium*, S. Ignatij de Loyola sanè maximam; qua ego Te Lector optime, animámque tuam, nolim porrò destitui, ut tum debito meo, quo Proximos ad salutem æternam juvare debeo; tum sincero studio, Tibi serviendi, ùt cupio, faciam satìs. Diu fortasse in votis habuisti, cognoscere penitus, quid tandem sint illa *Exercitia Spiritualia*, tantopere à summis Pontificibus approbata, laudata, & commendata; ubique maximis encomijs deprædicata; & ab omni genere hominum usu toties repetita: En libellum istũ, *tolle*, *lege*, dum tranquillô es animô; & piæ curiositati tuæ dabis, quod optabas. Divina Bonitas gratijs suis cœlestibus, dum leges, mentem tuam illuminet, affectum recreet atque inflammet, ut animum resolvas ad negotium æternitatis, quæ Te certò expectat, & salutis tuæ, quæ semper in hac vita mortali incerta est; saltèm semel in vita seriò pertractandum. Vale optimè, diutissiméque; & notitiâ istâ in tuum commodum prolatâ, utere felicissimè, ùt opto.

PARS I.

De Natura Exercitiorum Spiritualium S. IGNATIJ DE LOYOLA.

CAPUT I.

De Authore Exercitiorum Spiritualium.

CErtum atque ab omni controversia remotissimum jam nobis est, Authorem aurei & planè divini libelli Exercitiorum spiritualium esse D. Ignatium de Loyola Fundatorem Societatis JEsu. Constat hoc inprimis ex manuscriptis ejus- 1.

dem sancti, quæ in Archivo societatis Romæ asseruantur. Libellus ille, tanquam partus ab Ignatio elaboratus, primùm oblatu Paulo III. Pontifici maximo, dei ab eo approbatus, & magnis laudibus commendatus fuit. Accedunt plura testimonia jurata in processu Canonizationis facta authoritas quoque Auditorum sacræ Rotæ, qui adeò manifestum fecerunt Pontifici, Exercitia spiritualia, non ex ullo humano ingenio prognata esse, sed à ment divina processisse, dum ità loquuntur: *Cùm dicta Exercitia facta fuerint eo tempore, quo dictus B. Pater erat idiota, & literarum ignarus utique cogimur fateri, dictam cognitionem & lumen, supernaturaliter infusa potiùs, quàm acquisita fuisse* Ut nullus deinceps rationabili dubitationi locus fuerit relictus.

Auditores Rotæ Romanæ.

2. Accedit Advocatus Consistorialis, qui coram Gregorio XV summo Pontifice in Consistorio pu-

publico de Ignatio affirmavit; dum adhuc Manresæ solitarius esset, libellum illum conscripsisse, *ex ijs, quæ divinô Magisteriô didicerat.* Insufficiens proinde atque omnino vana est vetus illa oppositio cujuspiam affirmantis, Exercitia spiritualia à sancto Ignatio descripta & compilata esse ex quodam Exercitatorio Cisneri Abbatis. Nam si duo ista opera secum invicem conferantur; adeò sibi dissimilia sunt, ut neque in rebus tractandis, neqne in Methodo, atque ordine conveniant, prout egregiè ostendit Bartolus noster.

Cæterum, primus & verus Author operis hujus pretiosi, de quo agimus, est sinè dubio ille, sinè quo nihil boni cogitare vel dicere possumus, DEUS optimus, maximus; qui cœlesti lumine suo illustratam Ignatij mentem; Virgine Deiparâ, Mariâ, quæ & veræ Religionis, & veræ devotionis est Magistra, assistente ac dirigen- 3

te, ut piè credimus, Exercitia spi-rituali connicinnari per Ignati-um, & mundo proponi voluit & fecit. Testantur enim unanimi-ter vitæ sancti hujus scriptores, quòd in solitudine Manresana per illos menses decem, ubi quotidie septem horas meditationi rerum cælestium impendebat; DEUS mentem Ignatij illustraverit cre-bris revelationibus, frequentibus-que apparitionibus, quibus eum invisebant aspectu visibili, Salva-tor noster cum sua sanctissima Vir-gine Matre, instituendo & erudi-endo eum in spiritu. Uunde P. Jacobus Lainez & P. Joannes Po-lancus, viri tum in sanctitate tum in doctrina eximij, & secretorum Ignatij conscij, palàm testati sunt quòd Ignatius in scribendis Exer-citijs suis dicere potuerit, quem-admodum dixit olim Christus apud S. Joannem: *Mea doctrina non est mea.*

4 Neque ad hoc firmandum de-

deest revelatio facta in Hispania Virgini à vitæ sanctimonia celebri, Marinæ de Escobar, cujus vitam conscripsit magnus ille Magister in spiritu, *P. Ludovicus de Ponte.* Vacabat hæc Virgo die quadam contemplationi altissimæ, in qua ei comparuit splendoribus cælestibus ornatus Archangelus Gabriel ab ipsa Regina Angelorum missus, qui nomine Deiparæ significavit Virgini, rem gratissimam fore Cælorum Dominæ, si Exercitijs spiritualibus operam daret secundùm usum & consvetudinem Societatis: Eò quòd, sicut ipsa fuit, quæ direxit Ignatium in sensis spiritualibus, & Methodo Exercitiorum; Ipsa, quæ promovit usum & fructum eorundem; imò ipsa, quæ in terris vivens, hujusmodi contemplationibus proprium pascebat spiritum; ità nunc in cælis regnans in delicijs habeat, fovere protectione speciali, & gratijs peculiaribus

Lib. 1. c. 5. p. 3. P. Alvarez in Vita c. 23.

cumulare eos, qui ad ſui imitationem animum addicunt ad meditanda iſtiuſmodi myſteria. Placito iſti ſupremæ Cælorum Dominæ morem gerens devotiſſima Marina, quantam deinde habuierit æſtimationem Exercitiorum ſpiritualium, & quos ex ijs fructus retulerit, facilè eſt cogitare, quamvis referre non ità ſit hujus loci.

CAPUT II.

Quid non ſint Exercitia ſpiritualia.

5. *Bart. l. 1. Vit. S. Ign. n. 16. Angell. Art. Inform. n. 5.*

UT planè, ac citra obſcurrtatem quod volo exponam, dicendum primò eſt, quid non ſint; deinde verò, quid ſint Exercitia ſpiritualia S. Ignatij. Hæc itàque non ſunt collectio quædam piarum conſiderationum, vel fortuitò, vel etiam quali quali ſtudiô in unum librum coacta; quemadmodùm variati coloribus flores pulcherrimi in unum faſciculum combinati; quibus anima condi-

ſcat, & cum DEO, & cum ſe ipſa utiliter ſola converſari: ſi enim nihil haberent ampliùs, neque eſſent, neque dici poſſent *Exercitia ſpiritualia S. Ignatij.* Quandoquidem in comperto eſt apud omnes, primum inventorem non fuiſſe, vel nominis *Exercitiorum Spiritualium*, vel piarum meditationum, S. Ignatium; nam utrumque jam olim ante ipſum erat in uſu.

Quod nomen Exercitiorum ſpiritualium attinet; illud profectò jam pridem à Patribus eſt uſurpatum, prout oſtendit P. Franciſcus Suarez. Nam S. Bernardus in libro de vita ſolitaria, ait: *Non Spiritualia Exercitia ſunt propter corporalia, ſed corporalia, propter ſpiritualia.* Vocat autem, ùt notat Suarez, exercitia ſpiritualia, lectionem, meditationem, Orationem, & conſcientiæ examinationem. Et D. Bonaventura quoddam opus ſuum *Exercitia ſpiritualia* nominavit quorum neceſſita- 6.

Franc. Suarez. tom. 4. de Relig. c. 5. à n. 1. S. S. Bernard. l. de Vit. ſolit. ad Frat. de Monte DEI col. 22.

S. Bonaventura. Tom. 1. opusculorum in fin.

tem volens exprimere, illud his verbis inchoavit. *Ut in virtutibus conserveris, oportet te habere Exercitia spiritualia, quibus animum tuum occupes, quia nisi sic, non poteris in virtutibus perseverare.* Et

Ludovicus Blosius in Canone vitæ spirit. c. 16.

Ludovicus Blosius, magnus in Spiritu Magister inquit: *Lectione, precatione, cæterisque spiritualibus Exercitijs deditus esto.* Denique simili modo S. Laurentius Justinianus loquitur: *sunt spiritualia Exercitia sedulâ cordis intentione colenda.* Et hæc de nomine antiquissimo Exercitiorum spiritualium.

S. Chrysost. lib. de orando Deũ

S. Ambrosius lib. 6. de sacram. cap. 3.

7\. Sed etiam usus meditandi, seu mentaliter orandi usitatissimus fuit apud SS. PP. Qui multis sæculis ante S. Ignatium in Ecclesia DEI floruerunt. S. Chrysostomus duos conscripsit libros *De Orando Deum*, Innumeris refertos sententijs, & laudibus Orationis mentalis; *Per quod*, ait, *illud assequimur, ut mortales, & temporarij esse desinamus.* D. Ambrosius ex-

S. Ambrosius

exponens verba illa Math. 6. *Cùm oraveris, intra cubicubum tuum.* id est, ait: *cor tuum & mentem tuam, & clausô ostiô; id est, ore, ora Patrem tuum. &c.* Idem exarcitium Orandi commendabat S. Nilus, svadebátque *Sensu orandum esse*: Quod ità explicat. *Sensus est consideratio cum reverentia & compunctione, & dolore animi, cum suspirijs sinè voce.* Aliud itaque à S. Ignatio expectandum est in Exercitijs spiritualibus, quàm nuda quædam orandi, meditandi, & alijs ad spiritum pertinentibus exercitationibus animam excolendi ratio.

lib. 6. de Sacram. cap. 3.

S. Nilus lib. de Oration. c. 39. & 4.

CAPUT III.

Quid sint Exercitia Spiritualia Sancti Ignatij.

DUo quæri possunt: primò quid nomine Exercitiorum spiritualium intelligat S. Ignatius: Secundum, quid res ipsa sit; aut 8.

S. Ignatius lib. Exerci. spiritual.

quid efficiant Exercitia? Utrumque declarat S. Ignatius, his verbis: *Nomine spiritualium Exercitiorum intelligitur quilibet modus examinandi propriam conscientiam, itèm meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem & vocem, ac postremò alias quascunque spirituales operationes tractandi; sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia sunt corporalia: ità quoque præparare & disponere animum ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas; & his sublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ, Exercitia vocantur spiritualia.* Ità per viam descriptionis, Exercitia spiritualia definit S. Ignatius, tũ quoad nomen tũ quoad rem ipsam. Nomen quidẽ explicat usque ad illa verba: *Exercitia sunt corporalia.* Rem verò deinceps ab illis verbis: *Præparare & disponere.* &c. Ex qua descriptione finis intimus eruitur, ad quem con-

Bartol. 1. vit. S. Ignat. n. 16.

consequendum Exercitia spiritua-
lia diriguntur. Nimirum Vir san-
ctus, & Zelô animarum salvan-
darum plenus instituere voluit cu-
rationem animæ fundatam in cer-
tissimis Fidei Divinæ principijs,
eâ Methodo ac ordine connexis,
ut observatis exactè medijs à se
præscriptis, infallibilis, quantum
est de se, fieret consecutio spiritu-
alis sanitatis; quæ sicut sanitas cor-
poralis in ejectione pravorum hu-
morum, & inductione tempera-
menti debiti reposita est; ità sani-
tas animæ in peccatorum & vitio-
rum exstirpatione, atque insitione
virtutum consistit.

Erat sanè priusquàm lucem 9.
hanc vidisset Ignatius, notitia fi- *Dan.*
nis ultimi, ad quem homo à Deo *Bartol.*
creatus est; erat notitia pœnarum
inferni, & aliorum hominis no-
vissimorum: neque ignota erat
malitia peccati, vel conscientiam
examinandi ratio, aut mysterio-
rum vitæ Christi contemplatio;
Sed

ſed ars ex inſpecto probè ſtatu animæ ſuorum intemperie affectuum laborantis orta; & ex intima notitia virtutis, quâ unaquæque conſideratio pollet, nata, Methodúmque certam atque infallibilem de ſe præſcribens, quâ unicuique languori ſua conferatur medela; hæc enim-verò nuſquam in mundo ante S. Ignatium viſa eſt. Multi circuli ferrei in unum faſcem duntaxat collecti, præter vim nativam ferri omnibus communem, aliam habent nullam; At ſi manu Artifice fabri alter innectatur alteri, eam ab arte vim induent fortiſſimi ligaminis, quâ priùs carebant ſinguli. Meditationes in Exercitijs ſpiritualibus S. Ignatij, mirabili planè atque divinô artificiô ità inter ſe connexæ, ſibique ſubordinatæ ſunt, ut una ab alia virtutem accipiat, & robur uniuſcujuſque augeant omnes; eâque unione ab Ignatio inductâ, evadant ſe ipſis longè fortiores.

Joſeph. Agnell.

Un-

Unde natura & ars exercitio- 10
rum ſpiritualium ſita eſt in eo,
quod eſt, *præparare & diſponere a-
nimam ad tollendas affectiones omnes
malè ordinatas, & ijs ſublatis, ad
quærendam & inveniendam volun-
tatem DEI circa vitæ ſuæ inſtitutio-
nem, & ſalutem animæ.* Et ideò
ſancta Sedes Romana oraculô Pau-
lí III. reſpiciens ad propriam iſtã
S. Ignatij Methodum, Exercitia
ſpiritualia vocat, & definit eſſe,
*Documenta, ſive Exercitia ſpiritua-
lia ex ſacris ſcripturis & vitæ ſpiri-
tualis experimentis elicita; & in or-
dinem ad piè movendos fidelium ani-
mos aptiſſimum, redacta.* Unde
non abs re hoc etiam honorificô
titulô inſigniri merentur atque
definiri: Cæleſtis Philoſophia,
Manreſæ ad lumen divinum ab
Ignatio divinitûs inventa, atque
elaborata. Nam, ut optimè ait
Suarez; *Reverà fuit donum ſpeciali
gratiâ illi conceſſum, & non ſinè ma-
gno uſu & experientia comparatum*

Suarez tom. 4. de Relig. l. 9. cap. 11

cum gratia divina ; & ideò in hac forma proponenda & declaranda, & diversis hominum statibus & ingenijs accomodanda, versantur ferme omnia documenta hujus operis ; nihilque deest, ùt existimo, quod desiderari possit.

CAPUT IV.

Quam rationem in tradendis Exercitijs servaverit S. Ignatius.

11. ADvertendum imprimis est, libellum Exercitiorum mole sua esse admodum parvum, & omnia in eo breviter tractari ac definiri ; idque ideò, prout observat Suarez, quòd mens Ignatij fuerit, brevissimè comprehendere omnia, quæ ad spiritualem instructionem, & interiorem animæ salutem conducere possunt ; tum ut faciliùs addisci, & exerceri possent : tum etiam ut exercitium ipsum svavius & delectabilius fieret. Cujus ratio est ; quia sola principia generalia possunt esse omni-

Suarez. tom. 4. de Religion. Tract. 10. lib. 9. c. 6. num. 4.

omnibus communia, quamvis explicatio in particularibus circumstantijs, cum hac vel illa extensione, permittat Prudentiæ Directoris, & Magistri spiritualis, qui exercitia traditurus, atque explicaturus est, sinè quo nunquam, præsertim nondum benè versati, aggredi debent Exercitia: & de brevitate quidē plura dicentur, infrà; hìc ad alia particularia descendimus.

Ratio igitur, quam S. Ignatius tenet in suis exercitijs, in ordine ad obtinendum finem à se intentum, est hæc. Pro primo principio seu fundamento totius reformationis spiritualis ponit Exercitium de ultimo fine hominis. In quo ad lumen cæleste consideratur, & solidè comprehenditur, quis tandem sit finis ille, propter quem homo creatus à DEO est, atque in hunc mundum positus. Non certè ut vivat, quemadmodùm & reliqua omnia bruta; *sed*

12.

S. Ignatius lib. Exercit.

ut

ut Dominum DEUM suum laudet & revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Qui finis utpote sublimissimus, elevat hominem super omnes res alias creatas ratione destitutas; quas tandem deprehendit, hominis ipsius causâ numerô maximô, & varietate pulcherrimâ esse productas, ut eum ad finem creationis suæ juvent atque promoveant.

13. Ex hoc principio intellectus etiam mediocris, at bene dispositus; mox videt, ordinem perversum esse; vivere, laborare, conatúsque omnes adhibere, ut vel ampla in dominando potentia, vel sublimis in literis sapientia, vel magna ex re militari gloria, vel demum divitiarum atque voluptatum affluentia obtineatur. Hoc enim aliud non esset, quàm DEUM, qui supremus Dominus ac Princeps omnium est, ad suas cupiditates, licèt invitum pertrahere; non se suámque vitam indispen-

pensabili ejus legi atque imperio accomodare; in medijs pro libidine affectionum corruptarum, velut in fine; neglectô penitus vero fine in cultu DEI, ejúsque fruitione perpetua sito; conquiescere.

Innumerabiles pene fuerunt, 14.
qui bene penetratô isto fundamentô, adhuc in limine Exercitiorum, adeò mutati sunt in melius, ut ex loco ipso considera- *Bartol.*
tionis penitus alij à se ipsis intran- *lib. 1.*
tibus, exiverint. Martinus Ola- *S. Igna.*
vius præclarum Sorbonæ lumen *n. 16.*
& Doctor Parisiensis ingenuè fassus est, se per unicam horam ex meditatione de hoc fundamento instituta, condidicisse plura, quàm per annos plurimos ex Theologia Universa toties palàm in prælectionibus explicata, atque speculationibus diurnis nocturnisque elucubrata.

Ex hoc fundamento proce- 15.
dit S. Ignatius ad reliqua Exer- *Suarez*
citia, quæ omnia in quatuor par- *ibidem*

tes divisit, quas hebdomadas appellavit, non quia necesse sit in singulis septem dies & non plures vel pauciores insumi, sed quia commodè ità distribui possunt, & regulariter illud tempus videtur sufficiens & accomodatum, quamvìs etiam brevius quandoque soleat esse sufficiens; imò satìs communiter ad decem vel octo dies usu jam redacta sunt; cùm ad plenum usum eorum integer mensis, aut etiam dies quadraginta requirantur ab Ignatio. Jam quid in singulis hebdomadis contineatur, breviter perstringemus.

CAPUT V.

Quid sit in prima hebdomada.

16. UT periti Medicæ Artis rectè instituant curationem corporis ægroti, illud imprimìs ab humoribus vitiosis expurgare satagunt. Idem in prima hebdomada seu parte Exercitiorum suorum exa-

exactè agit S. Ignatius in curatione ſpirituali animæ. Hæc enim via eſt illa, quæ apud Magiſtros Spiritûs *Purgativa* dicitur, & ideò illas præcipuè materias continet, quibus divinæ offenſionis gravitas oſtendatur, ut conſiderationes reliquæ ad hunc finem conducentes veram in anima pœnitentiam & contritionem excitent. Nam in primo Exercitio conſideranda exhibetur animæ ſevera caſtigatio à DEO inflicta ijs, qui à fine ſuo per peccatum aberrârunt; quales fuerunt Angeli mali, primi Parentes, ac tandem omnes peccatores, qui propter peccata ſua æternis cruciatibus jam addicti ſunt; ut ità periculis alienis facta cautior anima, peccata propria deteſtetur, & ſeriâ pœnitentiâ aboleat; atque impoſterum ſeriò caveat.

Suarez. ibidem num. 5.

Inde gradus fit ad conſiderandam mortis certitudinem, licèt quoad locum, tempus & mo- 17.

dum, incertiſſimam; quæ illud imprimis efficit, ut ſemper deinceps paratam mori, probéque ordinatam teneat quiſque conſcientiam. Inde Judicium tremendum venit conſiderandum, in quo ſuprema divini Judicis ſententia irrevocabilis atque juſtiſſima erit audienda, vel ad æterna præmia vitæ beatiſſimæ invitans, vel ad ſupplicia mortis & gehennæ condemnans pariter æterna; cujus enormes cruciatus ad vivum perpenduntur in contemplatione de pœnis inferni. Subditur his tandem conſideratio per quam efficax de filio prodigo, quæ mirum in modum excitat affectus hominis verè pœnitentis, & in gratiam Patris amantiſſimi, Dei, revertentis.

18. Conſcientiæ duplex additur examen, manè & veſpere quotidie faciendum; quod & ad bene inſtituendam Confeſſionem generalem vel ordinariam, & ad conſervandam conſcientiæ puritatem,

tem, utilissimum est præsidium, quod S. Bernardus ità suadet. *Sedeat judicans justitia, stet rea & se accusans conscientia: nemo te plus diligit, nemo te fideliùs judicabit: manè, præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tibi indicito cautionem: Vespere, præteritæ diei rationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem.* Et S. Basilius hoc sæpe consilium repetit, inquiens: *Quæ singulis diebus feceris, ea vesperi tecum ipse commemora; & cum his, quæ feceris pridie conferto, ut melior in dies existas.*

S. Bernardus lib. de vita solit. 10. lib. 15.

CAPUT VI.

Ad quid ordinetur secunda Hebdomada.

EXpulsis dispositionibus contrarijs, peccatis videlicèt, quæ in prima hebdomada, contritione atque confessione retractata & evecta sunt, manum admovet medicus spiritualis ad inducendum 19.

dum debitum temperamentum variarum virtutum, aliorúmque donorum cæleſtium in animam. Hæc igitur ſecunda hebdomada proponit Exercitia, quibus homo inſtituitur vel ad rectè eligendum; ſi nondum elegit, vel ad mutandum, ſi prior mutari poteſt; vel certè ſi mutari non poteſt, ad emendandum; & malum in bonum vertendum vitæ ſuæ ſtatum.

20. Quia verò fundamentum rectæ electionis, quoad ſtatum vitæ in homine Chriſtiano eſſe debet, ſequi & imitari Chriſtum; ideò ſtatim in principio illius hebdomadæ proponuntur conſiderationes, quæ ad hoc firmiter ſtatuendum inducant, & præſertim de Regno Chriſti, de Incarnatione, Nativitate, & vita Redemptoris noſtri, quæ nobis propoſita eſt tanquam exemplar, cui vita noſtra conformari debet. Deinde proponuntur media ad rectam electionem

onem faciendam, & documenta
omnia ad illum finem neceſſaria.

Perpenditur autem in pri- 21.
mo illo exercitio de Regno Chri-
ſti, invitatio ſolemniſſima, quam
Chriſtus Rex noſter Clemen-
tiſſimus, & omni amore & ob-
ſequio digniſſimus, palàm facit
omnibus hominibus tanquam ſub-
ditis ſuis, ad debellandos omnes
inimicos ſuos, mundum, carnem,
& dæmonem; & ut eos ad ſequen-
dum ſe inducat, ſecuros facit om-
nes de æqualitate conditionis Re-
gem inter & ſequaces ſuos; cum
hoc ſolùm diſcrimine, qnòd ni-
hil arduum, nihil difficile aggre-
diendum erit cæteris, quod exem-
plô ſuô Rex ipſe, non aget vel to-
lerabit. Quæ conſideratio, pro-
ut quotidianâ compertum habe-
mus experientiâ, vim habet incre-
dibilem, & amabilem quandam
violentiam, ad pertrahendum a-
nimos hominum jam à peccctis
expurgatos, ut mirâ voluptate in
ge-

generosissimas tandem erumpant resolutiones ad Christum Regem suum sequendum.

22. Ex hoc ergo universali decreto sequendi Christum, ordine optimo aescenditur ad particularia Christi Regis nostri exempla, quæ sunt exemplar & norma sanctissima totius imitationis Christianæ; unde sequuntur meditatione de Incarnatione, Nativitate, & aliis præcipuis vitæ Christi mysterijs. Quia verò artes omnes & machinas adhibere solet infernus, quibus homines à proposita Christi sequela removeat, illis ex omni parte bella tum blandimentis tum adversitatibus inferens, juxta illud vaticinium: *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Ideo S. Ignatius, animum sese exercentis, roborandum, & in bono proposito firmandum esse duxit: & hoc præstat illa divina, & tam bene merita de Familijs Religiosorum, quibus

2. Timoth. cap. 3.

bus maximi pretij viros peperit quàm plurimos, meditatio de duobus Vexillis. In hac ſpectantur Chriſtus & Lucifer ſuo quiſque in campo, homines quiſque ſub vexillum proprium invitans & adſcribens.

Quia verò nimis apertè co- 23.
gnoſcitur, quòd ſtipendia Luciferi, quæ ſuis promittit ſequacibus, & rarò obtineantur, & obtenta etiam aliud nihil ſint, præter fugacia & brevia hujus vitæ & corporis commoda; certè, cum æternis calamitatibus & ſupplicijs connexa: ea verò, quæ Chriſtus offert, poſt exigua, eaqne non diuturna hujus vitæ incommoda, gaudia ſint æterna & felicitas perpetua; fit ut magni profectò ac generoſi planè animi concipiantur, ad contemnenda tranſitoria mundi bona, & ad amplectenda Chriſti veſtigia, in quocunque demum ſtatu vita inſtituta ſit. His præmiſſis, nonniſi ſolidiſſimè, fir-

missiméque succedere potest negotium electionis, sive jam versetur de vitæ statu, sive de reformatione atque emendatione jam suscepti statûs; sivè de alia quacunque materia, prout in ipsis Exercitijs exponitur.

CAPUT VII.

Quid in tertia Hebdomada contineatur.

24. FActa electione vitæ novæ ad exemplar Christi, iterum stabilienda & firmanda est voluntas contra adversa omnia, quibus infestari atque impugnari potest, à mundo, carne, & dæmone: & quia perfectio vitæ christianæ jam decretæ, longo tempore comparatur, & præcipuè per virtutem passionis & mortis Christi, ideò in tertia hebdomada passio Christi ad meditandum proponitur. Unde etiam ad statum proficientium, & ad viam illuminativam pertinet; ideó-

ideóque exercitia hujus & præce-
dentis hebdomadæ ad frequentio-
rem uſum totius vitæ ſpiritualium
hominum ſpectat ; quia major
pars hominum etiam bonorum,
& ex inſtituto ac electione DEO
ſervientium eſt in ſtatu proficien-
tium : ſtatus enim perfectorum,
paucorum eſt. Et fortaſſe ob hanc
cauſam in fine tertiæ hebdomadæ
adducuntur quædam regulæ ad
victum temperandum. Nam ad
uſum mentalis orationis, ut con-
tinuari poſſit, hæc mendatio im-
primis neceſſaria eſt.

Diſcitur itaque in hac ter- 25.
tia hebdomada, vera & ſince-
ra amandi ars, nec non ſvavis &
fortis perſeverandi ratio per ope-
ra bona in amore ac fidelitate pro-
miſſa Regi noſtro, cui ſervire,
hebdomada ſuperiore ſtatutum
eſt. Sita eſt autem ars hæc aman-
di in tolerantia malorum, quo-
rum infinita propè multitudo &
varietas deprehenditur in ſacro-

ſancta paſſione Redemptoris noſtri. Mirum dictu eſt, quantopere confortetur humana mens ad obſervandam DEI legem, procurandámque adeptionem finis ſui, ad quem cretata eſt, non obſtantibus quibuſcunque difficultatibus; poſtquam ſeriò penetravit, quanta & quàm acerba tormenta liberaliſſimè pertulerit Unigenitus DEI, Rex noſter, ut nos à peccato liberaret, & beatitudini æternæ tranſcriberet. Sed hæc longè dulciùs experientiâ deguſtantur, quàm calamô aut verbô delibentur.

CAPUT VIII.

Quem tandem Hebdomada quarta finem habeat?

26. *Suarez ibidem.* ADditur quarta hebdomada, in qua Chriſti gloria & reſurrectio datur ad conſiderandum, attingitque viam unitivam; ùt inquit Suarez. Repræſentat ita-

itaque gloriosa resurgentis Christi mysteria, & magnam mercedem, quâ æternus Pater Christi patientiam & amorem usque ad mortem ipsam tolerantis, remunerari voluit, non solùm in anima, verùm etiam in corpore, tantâ gloriâ, tòtque dotibus cælestibus in resurrectione conspicuo. Eô pactô mira dulcedine spei de futura sua quoque Resurrectione gloriosa perfunditur homo, si in lege Dei, & vita nova perseveraverit usque ad finem.

Hinc proceditur ad con- 27.
templandam gloriam cælestem & voluptates altissimas, quibus æternùm perfruuntur justi in Cælis, beatissimi in anima, beatissimi in corpore propter abundantiam omnium bonorum, secundùm illud: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cùm omnia talia *Psal. 35 9.* & tanta sint, quæ & qualia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in* *1. Corint. 1. 9.* *cor hominis descendit, quæ præpara-*

vit DEUS ijs, qui diligunt illum. Magnam certè vim ad ſe trahendi mortalium animos habet jucundiſſimus ille Cæleſtis Patriæ noſtræ locus, etiam deforis conſpectus; majorem ſinè dubiō habebit, oculô contemplationis intimè, quoad fieri poteſt, inſpectus. Jucundum ſanè ſpectaculum eſt animæ poſt hanc meditationem, Cælum noctè vel die intueri, & cum S. Ignatio dicere: *Eheu! quàm ſordet mihi terra, dum Cælum aſpicio.* Non ità Lutherus, qui ob enormia ſua flagitia beatiſſimam illam Cæli Reginam ſpe ingrediendi abjecta, illud quidem nocte ſerenâ etiam ſubinde contemplabatur, ſed ingemiſcebat: *Heu! qualem Patriam perdidiſti Martine.*

28. Denique ultima contemplatio amœniſſima ſanè atque delicioſiſſima, quæ eſt de amore DEI, in amplexum dulciſſimum DEI optimi maximi deducit animam, eamque conjungit per amorem,

rem, ultimo fini ſuo, qui eſt ſummum & infinitum bonum, DEUS intimè poſſeſſus. In quo ſtatim ars mira elucet S. Ignatij, initium Exercitiorum cum fine, pulcherrimô artificiô unientis, & fundamentum vitæ piæ faſtigiô amoris DEI & charitatis, veluti opere ſupremô coronantis; in quo altiſſima Religionis Chriſtianæ atque perfectionis celſitudo ſubſiſtit. Hæc meditatio animam ſolatijs cæleſtibus redundantem, abire ſinit ex ſolitudine Exercitiorum ſpiritualium. Multi fuêre, qui ægrè admodum paſſi ſunt avelli ſe à liquidiſſima dulcedine hujus vitæ ſpiritualis, cupientes tam beatæ navigationis ſuæ initium facere, dum vela contrahere in portu debent. Plerique omnes, maximo cum gaudio, animique tranquillitate, ac ſerenitate abſcedunt, & novi homines, atque penitus diverſi ab ijs qui intrârunt, revertuntur ad ſuos.

29. Ità nimirum, ùt bene obser-
Bartol. ibidem. vat Bartolus, Exercitia spiritualia S. Ignatij præstant fideliter ea, quæ de ijs mox ab initio promittit; *Præparare & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas; & ijs sublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem DEI circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ.* Efficiunt autem hoc Exercitia ista beneficiô Methodi illius artificiosæ & planè divinæ, qua S. Ignatius meditationes ipsas inter se se ad movendum aptissimè coordinavit, unámque alteri subordinavit, additis ijs documentis & regulis, quibus accuratè observatis, quoddam miraculum censeri potest, si quis in Exercitijs spiritualibus fructum non obtineat à se desideratum.

CAPUT IX.

Cur brevitatem & ſimplicitatem ſectetur in Exercitijs ſuis S. IGNATIUS?

QUisquis Exercitia ſpiritualia 30.
S. Ignatij legit, aut exper- *Suarez.*
tus eſt, obſervare potuit peculiare *tom. 4.*
ſtudium brevitatis & claritatis in *de Re-*
materia meditationum propo- *lig. lib.*
nenda; & ideo primò aſpectu con- *9. c. 6.*
temnere fortaſſe poſſet aliquis & *num. 1.*
ſimplicitatem & brevitatem totius operis. Nam in meditationibus, quæ in eo traduntur, breviſſima puncta ex Hiſtoria Evangelica, aut ex conſideratione vel comparatione aliqua ſatis vulgari deſumpta proponuntur; & quidem verbis ſimplicibus, nihil fere addendo, quod ad ubertatem materiæ, & ad unius horæ diſcurſum & meditationem viam aperiat.

Verùm, etiam in hoc re- 31.
ſplendet pars magna divinæ il-

lius artis, ad quam in Exercitijs ſpiritualibus S. Ignatius non caſu fortuito, ſed ex inſtituto reduxit meditationes, paucis & brevibus punctis, omiſsâ multiplicatione conceptuum, diſcurſuum & verborum, comprehenſas. Neque Idcircò pretium amittunt, multóque minùs periculum ſubeunt contemptûs: alioquin etiam præſtantiſſimum opus D. Cypriani de Exhortatione Martyrum, ideò contemptui ſubjacere poſſet; in quo ſumma brevitate, ſola capitula dominica ſe attigiſſe fatetur; ſed conſilij ſui rationem ſapientiſſimam ponit in præfatione libri ejuſdem inquiens: *Ut non tam Tractatum meũ tibi videar miſiſſe, quàm materiam tractantibus tribuiſſe, quæ res in uſum ſingulis proficit utilitate majore. Nam ſi confectam & paratam jam veſtem darem, veſtis eſſet mea, qua alius uteretur, & forſitan non pro habitudine ſtaturæ & corporis, res & alteri facta minus congruens*

S. Cyprian. lib. de Exhortat. Martyr.

ens haberetur. Nunc verò de Agno, per quem redempti ac vivificati sumus, lanam ipsam & purpuram misi; quam cùm acceperis, tunicam acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficias; & plus, ùt in domestica tua atque in propria veste, lætaberis; & cæteris quoque, ut & conficere ipsi pro arbitrio possint, quod misimus, exhibebis.

Simili consilio & motivo 32.
Ignatius est inductus ad studium brevitatis, cujus rationem in Additionibus reddit his verbis: ut videlicet is, *qui meditaturus est, acceptô veritatis historicæ primùm fundamentô discurrat, posteà & ratiocinetur per se ipsum.* Addit. 2
Ità enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel comprehensionem historiæ, aliquanto majorem præbeat (sive ex discursu proprio, sive ex divinæ mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorem & uberiorem fructum percipiat, quàm si res ipsa ei ab altero diffusiùs narrata &

declarata esset. Non enim abundantia scientiæ, sed sensus & gustus interior desiderium animæ explere solet.

33. Consonat hæc ratio Ignatij, etiam illi, quam S. Cyprianus de illa sua brevitate subdit, inquiens: *Nec non & illud consilium utile & salubre prospexi, in exhortatione tam necessaria amputandas esse verborum nostrorum moras & arditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas; ponenda sola illa, quæ DEUS loquitur: & præcepta ipsa divina velut arma pugnantibus suggerenda sunt, inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde & animi & corporis vires ad omnis passionis tolerantiam roborentur.*

S. Cyprianus ibidem.

34. Porrò de simplicitate verborum, seu potius claritate, qua utitur in suis Exercitijs magnus in spiritu Magister Ignatius, eandem præcipiens ab alijs Magistris in spiritu servandam; illud di-

cen-

cendum videtur: eam eſſe notam ſinceræ ac nudæ veritatis. Hôc pactô doctrinam ſuam mundo propoſuit ſuprema ſapientia, exuvijs humanæ carnis veſtita: ità ejus Apoſtolus Paulus de ſe teſtatur inquiens: *Cùm veniſſem ad vos Fratres; veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti.* Gloria Ignatij eſt, dicere poſſe cum eodem Apoſtolo, *ſermo meus & prædicatio mea non in perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs & virtutis; ut fides veſtra non ſit in fide hominum, ſed in virtute DEI.* Patere videlicèt omnibus debet, ut omnibus prodeſſe poſſit doctrina, quæ omnium utilitati & ſaluti deſtinata eſt. Non minus enim ſerviendum eſſe putavit Ignatius indoctis, quàm doctis. Monet tamen, ùt obſervat P. Suarez, habendam eſſe rationem perſonarum, quæ inſtruuntur,

2.Cor.2

Suarez ibin. num. 8.

tur, ut indoctis & rudioribus non nulla via aperiatur ad materiæ ubertatem, & materia ipſa aliquantulum digeratur, quantum ſatìs ſit, ut unuſquiſque pro captu ſuo circa illam diſcurrere ac meditari poſſit.

PARS II.

De fructu & dignitate Exercitiorum Spiritualium.

S. IGNATIJ DE LOYOLA.

CAPUT I.

Quos effectus Exercitia spiritualia operari soleant in animis hominum.

FRuctus atque effectus, qui ad usum Exercitiorum consequi solent plerumque sunt: primò, Vitæ preteritæ ac morum reformatio, actionúmque nostrarum ad genus vitæ uniuscujusque propriæ spectan-

35. *Rodriquenz. Tract. de Or. c. 26 Direct. pro Exercit. spirit. c. 1. n. 4. Ludov. de*

Ponte intro- duct. medit. §. 5. ctantium commutatio in melius. Secundò, est conscientiæ pax & quies animæ desideratissima, quæ oritur ex Confessione in Exercitijs, per exactam conscientiæ disscussionem, bene præparata & magno cum dolore ac detestatione peccatorum facta; ità ut nihil remaneat in animo; quòd porrò mentem remordeat; & in compositum relinquatur. Tertiò, lumen quodpiam interius & cognitio, qua mens dirigitur ad bonam gubernationem vitæ totius in quocunque statu. Quartò, Horror, & fuga omnis peccati & omnium peccandi occasionum; passionum quoque, potissimum autem illarum, quæ in unoquoque prædominantur, compressio atque subjectio.

36. Quintò: Victoria tentationum & difficultatum, quæ in vita nova & virtuosa occurrere solent, ad labefactandam perseverantiam. Sextò, magnanimi-

tas

tas & fortitudo ad tolerandas ærumnas & calamitates hujus vitæ undecunq; provenientes, nec non gaudium in exequenda & implenda fideliter sanctissima voluntate ac lege DEI, cum magna fame justitiæ & desiderio ampliùs Deo placendi per omne genus virtutū, Statui proprio congruentium. Hæc & alia similia plura secum adfert in domum suam, qui Exercitijs spiritualibus S. Ignatij per dies aliquot se se excoluit; ut dicere meritò possit cū Apostolo: *Vivo ego; jam non ego, vivit verò in me Christus.* *Galat. 25.* Nunc mirabiles aliquas magísque notabiles animorum mutationes, quas Exercitia spiritualia causârunt in Exemplis animus est intueri.

CA-

CAPUT II.

Primus Ignatius fructum Exercitiorum ſpiritualium magna ſui mutatione fuit expertus.

37. *Orlandi c. 1. Hiſtor. Societ. n. 23.* INteriora Philoſophiæ Cæleſtis ingreſſus Ignatius, exercere ſe cœpit meditationibus ijs, quas in Exercitiorum ſpiritualium libello digeſſit. Has ille magnô ſuô bonô primus expertus; ratus id quod erat, eandem quoque vim in cæteris habituras; ſubinde ad aliorum adhibere ſalutem & vitæ diſciplinam inſtituit, tam illuſtri commutatione; ut nihil illis videretur, ſive ad eligendum vitæ genus, ſive ad confirmandos mores, appetitionéſque ſedandas, ſive ad retinendam in præclaris animi noſtri decretis, inſtitutiſque conſtantiam excogitari potuiſſe præſtantius.

38. Inter has meditationes in amorem præcipuè CHRISTI Do-

Domini immenſum exardeſcens, quidque ille egiſſet causâ noſtrâ, quid æquum eſſet conari nos in ejus obſequium, animô verſans; cùm ei ſe totum ac penitus cuperet mancipare, & invenire quemadmodùm & ubi rem poſſet quàm gratiſſimam facere; & cuncta circumſpiciens cognovit, obſequium Salvatori non poſſe impendi uſquam acceptius, quàm in divina gloria procuranda per ſalutem animarum, pro qua ſcilicet ad terras veniſſet; ad quam, quidquid egerat, quidquid dixerat, quidquid ad mortem uſque duriſſimam tulerat, retuliſſet, ad eam curam protinus ferebatur.

Et quia proponebat ſibi 39.
Chriſtum JESUM veluti Regem, juſtô præditum imperiô, fortem ac generoſum, & moribus ſvaviſſimis, qui ad pium bellum non alia invitaret conditione populares ſuos, quàm ut commodis ijſdem & incommodis uterentur men-

menſæ, lecti, laborum, periculo-
rum, quibus ipſum uti Regem vi-
derent; optimè hinc argumen-
tans, ex una parte non poſſe mili-
tibus iſta conditione optabilio-
rem, honeſtiorémve proponi;
nec ſanè dignum aut militum aut
hominum numerô, qui Rege ejuſ-
modi, piam ad expeditionem ſic
invitante, non evolaret ad ſigna;
ex altera verò parte, pauperem,
eúmque cruce præeuntem Chri-
ſtum Ducem intuens, & audiens
Math. 16. vocem, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Totus
in Sanctum id genus belli, totus in
ſtudium animarum, totus in æ-
rumnarum, paupertatis, & cru-
ciatuum omnium cupiditatem ex-
ardeſcebat, ut ſtrenuè ac legitimè
ſub tali duce militaret, erubeſcens
non ſequi præeuntem; & melio-
rem, quàm ſibi Dux aſſumeret, con-
ditionem pati.

Ex hoc fonte, quæ geſſit
to-

totâ vitâ pro ſalute animarum, quæque perpeſſus eſt, & multò plura quæ cupivit perpeti; ex eodem ſociorum adlectio, inter quos magni illius Indiarum in orbe novo, Apoſtoli Franciſci Xaverij converſio; hinc denique Societatis Univerſæ inſtitutio, atque propagatio emanavit. Congruum enim verò erat, ut primus ipſe uberes in ſe ipſo legeret primitias eorum fructuum, quos arcanô magiſterio per orbem univerſum, cæleſti quadam fæcunditate, in animis mortalium aliquando erat diſſeminaturus.

CAPUT III.

Notabilis mutatio cujusdam Religioſi, per Exercitia ſpiritualia S. Ignatij obtenta.

NOn eſt animus hìc recenſe- 41.
re, plurimos ex hominibus *Direct. Procem. num. 7.*
noſtræ Societatis, præſertim primis temporibus, qui per Exercitia

tia ſpiritualia gratiam ſuæ vocationis acceperunt, aut etiam eos, qui relictô mundô alios ordines Religioſos ingreſſi ſunt: aut multos illos, qui jam ingreſſi, egregiè reformati ſunt; nec ſinguli tantùm, ſed ſæpè integra cænobia: hæc enim omnia brevitatis causâ prætcrire libet. Satis nobis hìc erit oſtendere impoſterum, ùt in omni ſtatu ac Ordine tum Religioſo tum Eccleſiaſtico, tum etiam ſæculari magna per Exercitia ſpiritualia inducta fuerit morum ac vitæ Renovatio, Conſcientiarum compoſitio & virtutum inſtauratio.

42. Refert Pater Joannes Stephanus Menochius ex vita Patris Franciſci de Villanova Societatis JESU, conſcripta per Patrem Euſebium Nirenbergium, quæ in Collegio noſtro Alcalæ in Hiſpania ſervatur, de Religioſo Cænobij Tendiliani, ex ordine Sancti Hieronymi, cui nomen erat Petrus de Aragania. Voluit ille ſpiritus ali-

Joann. Menoc. p. 4. Hiſtor. Cent. 8. cap. 8.

alibus Exercitijs Sancti Patris per dies aliquot excoli à Patre Francisco de Villanova Directore, viro eximiæ virtutis, prudentiæ, & magnæ in loquendo de rebus divinis efficaciæ: quod etiam cum insigni lætitia mentis obtinuit & absolvit. Reversus in Cænobium, magnô studiô adnisus est, alijs quoque Patribus beatam hanc dierum aliquot solitudinem, cum tanto fœnore, quantum ipse fuerat expertus, persvadere. Sed cùm plerique Patrum id renuerent, eò tandem inclinavit omnes; ut ex communi consilio & svasione, mitteretur Alcalam ad Patrem de Villanova Frater quidam laicus, ejusdem cænobij Religiosus conversus, ædificationis exiguæ, natura ferox, magnus staturâ, barbâ horridus, militi potiùs, quàm Religioso persimilis. Deliberatum quidem aliquando fuit à Patribus, quonam pacto Religionem ab homine incorrigibili

& per-

& permolesto liberarent ; Sed quod obtabant, efficere non poterant, tum ob sanguinis & Prosapiæ claritatem, tum ob donatam cænobio bonorum suorum portionem; denique ob metum vehehementis atque indomiti genij.

43. Et quantumlibèt in sententiam Aragonij omnes tandem proni consenserint, plerique tamen propter exiguam spem emendationis obtinendæ, diffidebant consilio; Plurimùm autem confidebat Aragonius tum in efficacia Exercitiorum spiritualium, tum in dexteritate religiosissima P. Francisci de Villanova; & imprimis in virtute admirabili gratiæ divinæ, quam DEUS liberalissimè solet elargiri in Exercitijs spiritualibus.

44. Mirâ ergo felicitate atque facilitate Aragonius induxit hominem prædurū, ut se se Alcalā conferret, ad laudatissimum virum P. Franciscum de Villanova, ab eo spiritu-

tualibus Exercitijs excoli postulaturus. Rem jocosè & curiosè magis quam animô seriô accepit audiens; iter tamen ingressus est conversus ille; & si fortè aliqui per viam occurerent noti, ijs per derisum & contemptum dictitabat, se Alcalam mitti ad faciendum, nescio quem diabolum (inquiebat ille) Exercitiorum. Jamque ad januam Collegij mulæ insidens, famulo comitante subsistens, Rectorem Collegij protinus acciri jubet: accurit P. De Villa nova illius Collegij tunc Rector, habitu, uti aliàs in usu habebat, indutus pauperrimô, tum verò cæmenti maculis hinc inde respersô, ab opera in fabricando Collegio cæmentarijs præstita, in qua exercendæ humilitatis, & sui despiciendi amore, non sinè voluptate se se occupabat.

Ut Rectorem hunc esse intellexit, eum feroci oculo tantisper intuitus, mox indignabun- 45.

dus & submurmurans quidpiam, cum sua mula se à collegio vertit, ad cœnobium suũ reversurus. Sed Rector apprehensô frœnô, placidè, humaniterque sessorem alloquens, magnis tandem precibus obtinuit, ut post molestum iter, modicam admitteret virium refectionem: qua durante passus est Rectorem sibi assistere, & nonnulla de rebus divinis loquentem, non tam ferocibus oculis ac priùs cœpit intueri. Nihilominus absolutâ refectione urgebat abitum; sed instantibus precibus, blandimentísque humanissimis Rectoris, sole jam in occasum properante, quietem etiam nocturnam in Collegio sibi oblatam admisit.

46. Rector, eâ temporis opportunitate utendum sibe esse ratus, uberiùs de rebus cælestibus, divinâ juvante gratiâ disserebat, adeò, ut tandem hospes ille suâ sponte à Patre de Villanova Rectore, spiritualia S. Ignatij Exercitia sibi

ſibi tradi expetiverit, quod etiam haud difficulter obtinuit. Illic ergo per dies omnino viginti & unum, in meditationibus primæ duntaxat hebdomadæ; quæ de peccatis eſt, ſe ſe exercuit. Intereà mirabilis gratiæ divinæ vis prædurum hominis cor, atque ab omni correctione alienum, adeò emollivit & immutavit, ut totos illos dies tranſegerit, aliud ferme non agendo, quàm lachrimis copioſis, aſperiſque pœnitentijs, & gemitibus continuis anteactam deteſtando ac deplorando vitam.

Redux poſteà in Cænobium 47.
totus novus & planè diverſus à ſe ipſo quàm abierat, exemplô vitæ ſuæ ad normam religioſæ virtutis compoſitæ, qua omnibus fuit admirationi; illud etiam effecit; ut poſt dies non multos, Religioſi cæteri illius Cænobij ſtatuerint Alcalam proficiſci, animorum per Exercitia ſpiritualia, in Collegio Societatis renovando-

rum gratiâ. Primus propositum suum executioni mandavit, Vir à munere Visitatoris in illa Religione cum laude obito, authoritate atque ætate multum illustris, annos Religionis numerans quinquaginta. Hunc posteà secuti sunt reliqui omnes; & quia tenuitas redditurum & Collegij angustiæ, neque alere, neque capere poterant omnes simul; bini & bini ad scholam sanctam veniebant, & revertebantur cum exultatione portantes manipulos suos consolationum & fructuum spiritualium.

CAPUT IV.

Alia non minùs admirabilis mutatio in viro Ecclesiastico.

48. Orlandin. l.2 Histor. Societ. n. 70. ANno 1539. Prima Societatis Missio, Senas, quæ Urbs Italiæ in Hetruria nobilis est, expedita fuit ab Ignatio Fundatore novæ suæ militiæ, ubi fructus præstan-

ſtantiſſimos per Exercitia ſpiritu-
alia Bonitas Divina operabatur:
quos inter, ut magis inſignis, eſt
ille, quem refert ſcriptor hiſtoriæ
Societatis JESU, Orlandinus, de
ſacerdote, qui ſcenica levitate ur-
be illâ totâ notiſſimus, ſcribebat
ingeniosè Comœdias, non ad mo-
res populi corrigendos, ſed ad
captandos riſus, auréſque paſcen-
das. Sacerdotalis dignitatis obli-
tus, ſemet in Theatrum ſæpe da-
bat, Mimum abjecto pudore a-
gens, tanto nequior actor, quan-
to Poëta præſtantior. Inductus
eſt ad Exercitia ſpiritualia facien-
da, & inter exercendum, obortæ
de Cælo luce, pudor rediјt, & ſe-
metipſum erubuit adeò, ut odiô
ſui, rationem excogitaverit, quem-
admodùm & ſe ſe ob priores caſti-
garet inſanias, & offenſæ multi-
tudini ſatisfaceret.

Statuit igitur, injecto cer- 49.
vicibus fune, in frequentiſſi-
mum venire templum, & inſpe-

ctante populo ſtratus humi, delicti veniam ſuppliciter exorare. Hôc cum Patribus Societatis communicatô conſiliô, auctores ei fuêre Patres, nè rem aggrederetur inconſultô Vicariô: ſi is annueret, ad ipſos rediret ultimum reſponſum auditurus. Non potuit à Deo datam mentem non probare Vicarius, ut quod corruperant exempla nequitiæ, pœnitentia reſarciret. Quare magnô animô redit ad Patres; qui ad Urbis Concionatorem è Franciſcana Familia hominem mittunt, ut dum ille ad populum verba faceret, priuſquam concionem dimitteret, ſi ità ipſi viſum eſſet, juberet populum expectare tantiſper, ac tum demum ſuggeſtum peteret, & quæ ad petendam veniam facerent, ea verbis ſupplicibus, & ardentiſſimis promeret.

50. Ut in ſacro illo ſuggeſtu Scenicus Sacerdos apparuit, jámque alia in ſcena alium geſtum agebat, ſu-

ſuſpenſa de collo reſte, ore exſangui, dejectis in terram luminibus, totóque vultu ad modeſtiam humilitatémque compoſito, excuſſit illico multitudini lacrimas. Valuitque nova illa perſona non minùs ad ſarciendos mores Chriſtianos, quàm paulò ante Mimica illa ad depravandos: multóque plus univerſam concionem verè pœnitentis aſpectus, quàm prioris Concionatoris permovit Oratio.

Is poſteà ſummis à Societate Votis, & inflammata voluntate contendit, ut in novam hanc familiam, quæ tam firma præſidia haberet ad permovenda pectora, adlegeretur: ſed cùm longioris deliberationis conſiliique res eſſet, moræ impatiens, ad PP. Capucinos tranſijt, ubi reliquam vitam in ſummâ Religione traduxit, multô utique lætior, horridô illô contemptóque ſaccô, morte appropinquante, quàm ſi in molli & vano perſeveraſſet habitu. Quis 51.

tam eloquens potuiſſet Orator, aut tam acer, ardénſque Concionator id homini diſſoluto perſvadere, quod ſpiritualis illa exercitatio perſvaſit? Prorſus fatendum eſt, nihil hôc præſidiô valentius ad ſanandos animi morbos, & hominum ingenia in melius permutanda.

CAPUT V.

De alio Sacerdote; de Viro Illuſtri, ac de Nobili Juvene per Exercitia ſpirituali ad frugem revocatis.

52. *Ribaden. in Vita S. Ignat. l. 5. c. 10.*

DUo ſtratagemata hic occurrunt memoriæ, quibus S. Ignatius feliciſſimè induxit geminas perſonas ad uſum Exercitiorum, cum admirabili fructu utriuſque: his addemus tertium, Juvenem Nobilem, ſed ferum atq; indomitum; tandem per Exercitia ſpiritualia mirum in modum manſvefactum. Primùm accidit Luteriæ Pariſiorum in ædibus cu-

juſpiam Doctoris Theologi egregij, de quo ſcribit Ribadeneira. Hunc Ignatius cupiebat Chriſto lucrifacere, ſed multis rebus fruſtrà tentatis, ipſum aliquando uno ſocio comitatus domi ſuæ convenit; animum relaxantem, & ſe ſe honeſto quodam luſu oblectantem offendit. Erat autem luſus globulorum eburneorum, qui ſuper menſam certa quadam ratione, certíſque legibus jaciuntur: & ille ſive ut laxamento ſuo forte prætexeret excuſationem, ſive ut honorem exhiberet Ignatio, ſuámque animi voluptatem augeret; opportunè, inquit, Ignati advenis, ut una mecum ludas. Negavit Ignatius ſe lusûs illius conſvetudinem habere aut artem. Ille perhumaniter invitare, inſtare, urgere atque efflagitare, ut unà ludat animi causâ.

Cùm porrò moleſtus eſſet 53.
eximius Doctor, & vim propemodùm afferret hoſpiti, nul-

lam admittens excuſationem; Ignatius, ſtimulari ſe ſe in corde ſenſit ad acceptandum luſum: ludam, inquit, tecum Domine, ſed ſeriò, lucrandi gratiâ: ea videlicet conditione, ut ſi vincar, aliquid tui causâ faciam: alijs quippe rebus omnibus deſtitutus & pauper, me ipſum tibi expono. Si autem victor ſim ego, tu viciſſim meâ quidpiam facias causâ. Placuit conditio; & ità convenit inter illos, ut victus triginta dies Victoris juſſa faceret, & ad voluntatem illius honeſta imperantis ſe accommodaret. Luſit Ignatius, rudis, novus & inexpertus; neque enim globulos unquam antehac in manus ſumpſerat; & ità luſit, ut Doctorem ſurſum deorſum verſaret, neque unquam in menſa conſiſtere, vel unam manum lucrari pateretur: ad quem Ignatij ſocius identidem dicebat: Domine, Doctor, digitus DEI eſt hìc.

54 Victus itaque eſt, deditque

manus Ignatio, agnoſcens luſum iſtum fuiſſe divinæ Providentiæ, quæ non obſcurè indicabat, eum vinci velle ab Ignatio magnô perdentis lucrô. Ignatius verò hominem hortatus eſt, ut ſe ſe ad tempus colligeret, & per dies triginta vacaret ſibi, ſuæque ſalutis æternæ negotio, exercitationibus ſpiritualibus (alijs curis abjectis) ſe penitus dederet; quod & fecit per menſem integrum, tales ac tantas inter conſolationes, quales & quantas in vita ſua expertus eſt nunquam. Benedicebat diem illum ſibi fortunatiſſimum, quo luſum perdiderat, quia meliùs vincere non poterat, lucrô etiam montium aureorum. Quæ omnia poſteà vulgata in Urbe frequentiſſima, permagnam inter homines cauſabant admirationem, tum ob Viri in meliora mutationem, tum ob Exercitiorum ſpiritualium efficaciam.

Verùm ſi in priori eventu 55.

videri poteſt, quòd præda ſeipſam projecerit in retia; in altero ſanè, mirâ inventione, allici debuit à Zelo ingenioſo Ignatij. Erat in eadem Urbe Pariſiorum quidam Sacerdos dignitate, Profeſſione Religioſus; vitâ profanus ac perditus; Ignatio verò propter morum diſſimilitudinem maximè infeſtus. Ad eum curandum ſanandúmque Ignatius, omnes ſibi aditus vidit occluſos: quid enim, adire hominem fraternæ correctionis gratia? vidiſſet illum utique frementem, in Laicum ignorantem & lacerum, qui auderet corripere ſacerdotem, qualis iſte erat. Hanc itaque rationem excogitavit. Dominico quodam die ad ſanctiſſimum Chriſti Corpus ſumendum de more profectus, quòd propè templum habitaret, ubi Euchariſtiam ſumere volebat, bene manè ad hominem divertit: rogavitque ut quoniam Confeſſarium alium non haberet

Ribadeneira ibidem.

ad manum, ſibi peccata ſua confitenti operam daret.

Ille exhorruit primùm Ignatij præſentiam? dein multò magìs, quòd id peteret, miratus eſt: poſtremò dedit, quod honeſtè negare non poterat. In Confeſſione Ignatius poſtquam quotidiana & leviora errata expoſuit, addidit, ſe etiam quædam vitæ præteritæ crimina, quorum ſtimulis maximè urgeretur, aperire velle, ut eorum recordatione ſalubri pudore ſuffuſus, veniam à DEO faciliùs impetraret. Hìc cœpit delicta juventutis ſuæ, & ignorantias recenſere, tanto dolore ac gemitu, tam profuſis lacrymis, ut ſuo fletu flere hominem cogeret, vehementérque conpungeret. Expendebat enim verô judiciô, ac magno verborum & ſententiarum pondere exaggerabat, quanta DEI eſſet, quem offenderat, Majeſtas, Bonitáſque, quanta viciſſim ſui ipſius vilitas at- 56.

que abjectio : quanta illius liberalitas & mansvetudo; quanta ipsius ingrati animi oblivio, & in tam benignum Dominum scelus: prorumpebátque Ignatius in lachrymas, & intimum doloris sensum deficientibus verbis explicare non poterat.

57. Quid multa? Cùm in vita præterita Ignatij, Sacerdos vitam suam præsentem quasique suis coloribus expictam cerneret, & alieno ex dolore, eóque gravissimo sibi propter majorem causam, vehementiùs etiam dolendum intelligeret; ità commutatus, ut quem prius detestabatur, admirari Ignatium inciperet, vitámque suam detestari, cujus sordibus hactenus impensè delectabatur. Itaque navigationis cursu in contraria mutato, vela vertit; peteréque non dubitavit ab Ignatio, siquod haberet, subsidium ad vitæ suæ, quam exponebat, correctionem. Indicabat ille, quasdam se ha-

habere conſiderationes, quibus animum ſuum ad pœnitentiam & morum mutationem induceret; quas cùm ille expetijſſet, etiam in Exercitia ſpiritualia conſentiens, in retia venit feliciter.

Inchoavit ea, cum quodam tæ- 58.
dio, & ſapore ſpirituali modico, ſed proſequebatur ea cum talibus animæ ſuæ delicijs, ut proteſtatus fuerit, ſe nunquam tantas expertum fuiſſe in ſenſualibus ſuis oble-ctationibus; alios demum eſſe longè ſublimiores ſapores rerum divinarum, quàm ſint illi, qui in hac miſera terra reperiuntur. Denique ſacris exercitationibus ab Ignatio eruditus, totum ſe ſe ſacris peregrinationibus, ac pœnitentiæ aſperitatibus penitus dedit, vitámque & Sacerdote & Religioſo homine dignam ità inſtituit, ut ſui Ordinis viris admirationi æquè eſſet ac exemplo. Certè ipſe quaſi ſuæ ſalutis authorem Ignatium ac vitæ Parentem, ſemper

per deinceps coluit ac dilexit, ídque apertè non destitit prædicare.

59. Non minor ferè mutatio morum videri potest in Juvene è nobilissima stirpe progenito, de quo refert sequentia Orlandinus: Dum Messanæ in Sicilia Societas per Missionarios suos animarum saluti se se impenderet strenuè, & compluribus per sacerdotem externum, pijs jam meditationibus institutum, prospiceret, earúmque præsidiô magnas in animis commutationes faceret, memoriâ dignus est, Nobilis Juvenis, Baronis Filius; quem cum frangere, atque edomare severitas paterna non posset, tres in triremi menses inter mancipiorum quisquilias fæcémque continuit. Hic ut in Domeneci Societatis nostræ Sacerdotis manus incidit, secessu & Exercitijs spiritualibus paucorum dierum itá ferociam deposuit, ut mox domesticis suis redditus fuerit mansuetus agnus; fidém-

Orlandin. l. 7. Hist. Societ. n. 21. ad ann. 1647.

demque Parentibus, fecit, quanto ſit ad frænandam liberorum inſolentiam orationis mentalis exercitatio præſtantior, quàm aut ſervitus ignominioſa triremium, aut dedecora verberum & probra virgarum.

CAPUT VI.

Qualia emolumenta è Spiritualibus Exercitijs perceperint Viri à Doctrina, rebus geſtis & dignitatibus Clari.

PAuciſſima, è plurimis affero 60.
ex hoc rerum genere. Scri- *Bartol.*
bit in pervetuſtis memorijs ſuis P. *l. 1. Vi-*
Didacus Mironius, illud admira- *tæ S. Ig-*
tione dignum, quòd Viri in ſubli- *natij n.*
mi ſcientia excellentes & famoſi *18.*
Theologi, qui priùs vel contemnebant, vel impugnabant Exercitia ſpiritualia; & quamvis nihil ignorarent eorum, quæ in eis continebantur: nihilotamen minus ubi ad eorum uſum & praxim animos

mos amplicuêre, ſubitò mutatâ & damnatâ priori ſententiâ ſuâ, palàm fateri non dubitaverint, ſe tum primum incipere Theologos eſſe, cognoſcerèque tandem, quid ſapientiæ ſibi deeſſet poſt longas è Cathedris Prælectiones, voluminum interpretationes, innumeráſque de ſubtilitatibus diſputationes.

61. Ex horum numero erat ille Petrus Ortîz, qui Caroli V. cauſas & negotia in Curia Romana tractabat apud Pontificem, & jam multo ante unus è celebrioribus Academiæ Pariſienſis Doctoribus. Hic Vir cognitô fructu, quem Eminentiſſimus Cardinalis Contarinus collegit ex Exercitijs ſpiritualibus; cum æſtimatione eorundem, ut tantus Princeps, & in ſupremo Eccleſiæ Tribunali Senator purpuratus, manu propriâ librum Exercitiorum, in uſum proprium, deinde in donum familiæ ſuæ, velut ſingulare decus

& or-

& ornamentum ; deſcribere voluerit : & etiam ipſe in animo ſuo ſtatuit eorum in ſe virtutem experiri. Et nè à negotijs publicis interpellaretur, ad celebre Clauſtrum D. Benedicti in MonteCaſſino ſitum ſeceſſit cum B. Ignatio : ubi primùm oculos aperuit in prima de Fundamento meditatione, quaſi alium in mundum veniens, per totam illam quadraginta dierum ſeriem, quibus exerceri voluit, alibi quàm in terra viſus eſt ſibi commorari. Elapſis verò diebus quadraginta lætabatur, quod intrà dies tam paucos tanta condidicerit veræ ſapientiæ arcana, ad quæ per tot annos Cathedræ Sorbonicæ non pervenerat : dolebat autem ; quôd tam ſerò.

Memorabile quoque illud eſt, 62.
quôd Joannes Cochleus, Vir ma- *Bartol.*
gnæ ſapientiæ, Theologus Regis *ibid.*
Romanorum in Conventu Ratisbonenſi, & Orbi literato notiſſimus, tum ab editis in lucem operi-

ribus eruditiſſimis, tum à multiplici è conflictibus contra Lutherum ſuſceptis, glorioſâ victoriâ ſemper reportata, in commendationemExercitiorum ſpiritualium S. Ignatij fecit & pronunciavit. Habitô enim colloquiô cum P.Petro Fabro de vi & efficacia Exercitiorum; &, ùt erat vir acri judiciô, agnito admirabili, quod in ijs deprehenderat, magiſteriô; vultu ad lætitiam ſerenato, elevatiſque in Cœlum oculis, feſtivè exclamavit: *Gaudeo, quòd tandem inveniantur Magiſtri circa affectus.* Et cùm primùm per negotia licuit, ijs peractis, ità ſe comparatum invênit, ut parum ei videretur, magnam illam efficaciam & vim expertum fuiſſe in ſemetipſo, niſi alijs quoque eam contuliſſet, tradendo Exercitia ſpiritualia Epiſcopis, Theologiſque permultis; hôc pactô intrà temporis modicum ſpatium in cœleſti hac ſapien-

pientia & diſcipulus factus & Magiſter admodum Zeloſus.

Unum adhuc prӕterire non 63.
poſſum S. Caroli Borromӕi in Exercitijs ſpiritualibus ſe ſe excolendi ſtudium. Profitebatur ſanctiſſimus Princeps, primum ad ingrediendum vitӕ Apoſtolicӕ iter, prӕſidium ab Exercitijs in ſe derivatum eſſe. Dum enim Juvenis adhuc, & jam dignitate Cardinalitia fulgens, & Nepos Papӕ viventis, ſeceſſiſſet in Domum Profeſſorum Societatis Romӕ, prima vice ſpiritualia Exercitia peracturus; ijs abſolutis, in uſu deinceps immutabili habuit annis ſingulis ſemel aut bis eadem recolere. Hinc ortum habuit ſaluberrimum decretum, quod in quadam ſynodo ſancire voluit, nè ullus ad ſacros ordines ſubdiaconatûs & Presbyteratûs promoveretur, qui ante ſuſceptionem horum Ordinum in ſeceſſu dierum aliquot, inſtructus non eſſet meditationi-

bus

bus primæ ſaltem hebdomadæ Exercitiorum S. Ignatij.

64. Denique cùm fructus & effectus, omnes tantum notabiliores, edicere volentes, nimis prolixam faceremus narrationem; univerſim loquendo, ſufficiat noſſe quòd alij ex meditatione de inferno proruperint in clamores & vociferationes, ſtultos appellando mortales, quòd priuſquam ingrediantur poſt mortem vivi, cognoſcant locum tormentorum & habitationem æternam damnatorum, ex qua nulla eſt redemptio; tamen ſponte ſuâ ſe in tantos cruciatus præcipitent. Alij non ſolùm aliena voluerunt reſtituere bona, ſed etiam proprijs ſe ſpoliare, & ea dare pauperibus, uſque ad voluntariam nuditatem. Alij offenſas graviſſimas condonare; imò pacem obſtinatè priùs negatam petentibus, expetere ab offenſoribus: flammis dare ſcientiarum humanarum codices, qui tot an-

annis cerebrum atque ingenium inutiliter excruciabant; nec alium post hac nosse velle quam Christum Crucifixum; & plura hujusmodi, videri possunt apud Bartolum & alios.

CAPUT VII.

Quantopere juvet ad vitæ mutationem, sola in loco secreto peccatorum consideratio.

IN Confirmationem supradictorum effectuum saluberrimorum, quos producere solent in animis Exercitia spiritualia; accedit, quòd etiam sola, in loco à tumultu negotiorum & aliarum occupationum separato, ponderatio peccatorum, virtute polleat admirabili ad permovendos mortales ad eorum detestationem & morum pulcherrimam mutationem: ut ità mirum non sit, quòd Deus talia operetur in secessu Exercitiorum spiritualium S. Ignatij, 65.

tij, in quibus non quæcunque ſterilis ac rudis eſt ſolitudo, ſed illa quæ certis legibus inſtructa, & meditationum ſerie atque ordine pulcherrimo per ſpecialem induſtriam adaptata eſt, ad coṁovenda hominum corda. Oſtendit hoc ars gratioſa, cujus ope S. Thomas de Villanova quempiam ſuorum Canonicorum è via mala traduxit in bonam. Rem totam narrat Menochius noſter; eámque de-
Fr. Micha. Salon. in Vita B. ſumit ex Vita B. Thomæ conſcripta à Fr. Michaële Salone ordinis D. Auguſtini.

66. *Thom. deVillanova l 2.c.11. Menoch. p. 1. Hiſt. cent. 1. c. 30.* Beatus hic Archi-Epiſcopus Thomas ſæpe commonefecerat Canonicum illum vitæ diſſolutæ, ut ità eum ad ejus correctionem induceret. Sed fruſtrà. Quare illud apud ſe ſtatuit, ut hominem amore atque amicitiâ lucraretur; & idcircò ſpatiô duorum annorum tot & tantis beneficijs, gratijs & favoribus eum cumulavit, ut tandem inter maximè caros fami-

lia-

liares esse videretur apud B. Archi-Episcopum; qui obligatâ sibi hôc pactô voluntate Canonici, secretô alloquiô aperuit ei fiduciam suam, qua non dubitabat, quin sibi præstare vellet, dum posset, si quid ab eo postularet; Canonicus verò animum ad omnia promptum obsequia exhibebat. Tum Archi-Episcopus aperit consilium suum de nogotio quodam Romano; cujus tandem absolvendi magnô se teneri desideriô dicebat; & addebat; quamvis alij apud Curiam Romanam degentes non desint obnoxij mihi, quorum operâ uti possim ad terminandum illud; majoris tamen de successu optato securitatis causâ, gratum & expediens mihi foret, si tu ipse ad tractandum illud proficisceris in Urbem. Agebat autem solicitè S. Præsul tempore illo in Romana Curia pro obtinendo Brevi, ut vocant, Pontificio, ad restaurandam cujuspiam monasterij Sancti-

monialium clausuram. Attonitus primùm ad tantam animi in se confidentis Archi-Episcopi sinceritatem Canonicus; tum perlibenter & honorem admittit, & Provinciam sibi delatam assumit.

67. Jubetur itaque ad Archi-Episcopo, negotia sua domestica omnia ritè disponere atque ordinare, non secus quàm si moriturus esset, propter longitudinem & pericula itineris assumendi, quibus omnibus rectè compositis, moneret Archi-Episcopum de legitimo statu omnium rerum suarum. De his certior factus Archi-Episcopus, plenè jam ad iter paratum, sub vesperam ad se venire jubet Canonicum pro extrema instructione capessenda, negotio bene gerendo servitura; ac demum ad cœnam & quietem apud se capiendam nocte illa invitat, manè cum aurora discessurum: vetat tamen nè ullum è familiaribus suis conduceret secum, spondens se-

ſe tum de hominibus, tum de alijs, quæ ad tale iter neceſſaria videbuntur, liberaliter proviſurum, atque diluculô corroboraturum ſanctiſſimo Christi corpore ad iter ſubeundum.

Canonicus in omnibus morem gerens Paſtori ſuo, veſpere illlo extremum valedicit notis & amicis, atque ad cœnandum & quieſcendum comparet in ædibus Archi-Epiſcopalibus. Interea S. Præſul, non tam de negotio ſuo, quàm de correctione Canonici ſolicitus, majorem noctis partem cum DEO in oratione traduxit. Apropinquante aurorâ, accedit Canonicum, eíque indicat, momenti rem maximi adhuc ordinandam reſtare; res tuas, inquit, domeſticas ſapienter ùt moriturus diſpoſuiſti, ſed conſcientiam, peccatorum Confeſſione, non dum expiâſti, quod tamen præprimis eſt neceſſarium atque minimè prætereundum, priusquam tanto 68.

itineri te commiſſurus, Corpore Chriſti reficiaris. Tempus adeò breve non eſt, ut protrahi nequeat, negotium meum, quod differri patietur etiam ad menſem: Tibi autem domum reverti atque in Civitate comparere, vulgatâ jam de tuo abitu famâ indecorum eſt. Quapropter continebis te uno iſto menſe in conclavi hoc, nemine conſciô, præter ſervum unum probatæ fidei, qui tibi erit ab obſequijs, ſecreti etiam lege obſtrictus; interea rumore de profectione tua diſſimulato & permiſſo, tu in ſolitudine iſta animam tuam ſeriò inſpice, & in examen revoca, confeſſionem ùt Nobilem Chriſtianum, & probum Eccleſiaſticum decet facturus ei, qui animo tuo magìs arridebit, Sacerdoti legitimo; & tandem die aliquo tempeſtivè ſanctiſſimô Euchariſtiæ Sacramentô in Oratorio noſtro Domeſtico, te reficiam, dimittámque cum Benedictione Cœleſti.

Hæc omnia tanquam verba ſpiritûs ſancti ad cor loquentis, prout reipſa per gratiam ſuam loquebatur, tacitus audijt atque admiſit Canonicus; qui menſe uno jam elapſo promiſſa cùm impleviſſet, & conſcientiam Confeſſione ſacramentali ritè eluiſſet; perſvaſus tamen à Confeſſario, alterum ut adhuc menſem in ea ſolitudine, quæ jam amabilis facta eſt, perſeveraret; & impoſitas pro delictis commiſſis pœnas interim ſubiret. Finito jam altero quoque menſe, ſignificat B. Thomas Canonico ſuo, profectionem adhuc differendam eſſe, atque Literas Romanas (quod re ipſa erat) expectandas, negotium ſuum concernentes; quibus allatis, nec diu emanere valentibus, tum demum abiturum. Quæ omnia tranquillo & lubenti animo admiſit Canonicus operante utique in anima jam à peccati ſervitute, liberata, DEO per gratiam ſuam: atque

ità univerſim ſex menſibus in domeſtica illa apud B. Præſulem Eremo, atque ſolitudine ſaluberrima, velut in quodam Paradiſi compendio perſeveranter ſe continuit atque excoluit, in deplorandis vitæ ſuæ præteritæ culpis, animam veræ pœnitentiæ actibus emundando, necnon DEO ſuo, à quo receſſerat priùs, ſe ſe per vitam novam conjungendo.

70. Interea, divinâ factum eſt Providentiâ, ut neque profectio Romana jam neceſſaria, neque litteræ Romanæ expectandæ eſſent; quandoquidem intrà illud ſex menſium intervallum, quo Canonicus ad converſionem vitæ melioris à D. Thoma in ea ſolitudine reducebatur, negotium totum in Urbe ritè confectum, & Breve Apoſtolicum, quod deſiderabatur, feliciter obtentum atque allatum eſt. De quibus omnibus à B. Archi-Epiſcopo edoctus Canonicus, à profectione Romana

simul & à solitudine absolutus est, editâ sub Vesperum famâ de reditu felici ex Urbe Domini Canonici, negotijsque subinde ab eo optimè gestis. Manè altero domum suam repetijt Canonicus, vitæ à priori penitus diversæ, non solùm ad vitia præterita reversus nunquam, sed exemplis optimis alios quoque in odorem suavitatis, maximâ totius Urbis ædificatione, attrahebat. Tantum valet seria incorrectæ vitæ in solitudine cordis inspectio atque consideratio.

CAPUT VIII.

Exercitia spiritualia à summis Viris, & à Sancta Sede Apostolica laudantur & comprobantur.

TAnta ergo utilitate ubique in omnes emanante ex spiritualibus Exercitijs, plurimi ea typis vulgari, atque approbatione & authoritate Sanctæ Sedis Apo- 71.

ſtolicæ muniri & fulciri, Boni omnes deſiderabant ardentiſſimè. Quod ipſum Franciſcus de Borgia, Gandiæ Dux, poſtea tertius Præpoſitus Generalis Societatis JESU, ac tandem in Sanctorum Catalogum relatus, magnô Zelô à Paulo III. Pontifice maximo, petivit & obtinuit. Itaque Sanctiſſimus Pontifex, duxit ea committenda viris à Virtute, ſapientia, & peritia negotiorum graviſſimorum tractandorum clariſſimis; qui ea examinarent, ſuámque de illis ferrent ſententiam. Inter hos primus fuit Eminentiſſimus Joannes Alvarus de Toleto, Ordinis Prædicatorum, Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis, Burgenſis Epiſcopus, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitor: cujus hæc fuit cenſura. *Legimus Spiritualia hæc Exercitia, placéntque nobis valde: & digna judicamus, quæ ab omnibus Orthodoxæ fidei Cultoribus recipiantur, & magni fiant.*

Al-

Alter erat Philippus Archintus 72.
Saluciarum Epiſcopus, ſummi Pontificis Romæ in ſpiritualibus Vicarius Generalis: ejus hic erat ſenſus: *Concedimus, ut opus hoc omni laude dignum & Chriſtianæ Profeſſioni valde proficuum imprimatur.* Tertius denique Fr. Ægidius Foſcararius, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, hoc tulit judicium. *Cùm nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana Religio ſinè Exercitijs & meditationibus aliquibus ſpiritualibus (in meditatione enim, inquit Vates, exardeſcet anima mea) nullas arbitror magìs opportunas his, quæ procul dubio ex ſcripturarum ſtudijs & longo rerum uſu natæ ſunt.* Tum verò ſuprema Sedis Apoſtolicæ laus, approbatio, atque authoritas addita eſt, qua Exercitia ſpiritualia omnibus commendantur hoc tenore.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

73. PAſtoralis Officij Cura, in univerſum Chriſti gregem nobis commiſſa & divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea, quæ ſalutem animarum & ſpiritualem earum profectum juvant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fovere & nutrire pietatẽ in Chriſti fidelibus valeat, à nobis expoſcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo (ſicut dilectus filius, Nobilis vir, Franciſcus de Borgia, Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius IGNATIUS de LOYOLA, Præpoſitus Generalis Societatis JESU, per Nos in alma Urbe noſtrâ erectæ, & per nos auctoritate Apoſtolicâ confirmatæ; quædam Documenta, ſive Exercitia ſpiritualia, ex ſacris ſcripturis & vitæ ſpiritualis experimentis elicita, compoſuerit; & in ordinem, ad

piè

piè movendos fidelium animos aptiſſimum redegerit; illaq; Chriſti fidelibus, ad ſpiritualem conſolationem & profectum, magnopere utilia & ſalubria eſſe, non ſolùm famâ ex plurimis locis allatâ, prædictus Franciſcus Dux didicerit; ſed etiam experimento manifeſto, cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compepertum habuerit.

Quare idem Franciſcus Dux 74.
nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Documenta, & Spiritualia Exercitia prædicta, quo LATIUS eorum fructus pateat, & plures Chriſti fideles majori cum devotione ad utendum illis inviten- tur, examinari facere; &, ſi approbatione & laude digna inveniremus, approbare & laudare, aliáſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui Documenta & Exercitia hujuſmodi examinari fecimus, & quæ teſti-

monio ac relatione dilecti Filij nostri Joannis, Tit. S. Clementis Presbyteri Cardinalis, Burgensis Episcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris; & Venerabilis Fratris nostri Philippi Saluciarium Episc. ac dictæ Urbis nostræ in spiritualibus Vicarij generalis; nec non dilecti filij Ægidij Foscararij, nostri Sacri Palatij Magistri, nobis desuper factâ, pietate ac sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum fidelium valde utilia & salubria esse & fore comperimus; debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos IGNATIUS, & ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant; & AD MAXIMUM ADJUMENTUM, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta,
au-

auctoritate prædictâ, tenore præ-
ſentium, ex certa ſcientia noſtra,
approbamus, collaudamus, ac
præſentis ſcripti patrocinio com-
munimus: hortantes plurimum
in Domino, omnes & ſingulos,
utriusque ſexûs Chriſti fideles, u-
bilibet conſtitutos, ut tam pijs Do-
cumentis & Exercitijs uti, & illis
inſtrui devotè velint. Nec non
concedentes, ut hujusmodi Docu-
menta, & ſpiritualia Exercitia im-
primi à quocumque bibliopola,
per prædictum IGNATIUM eli-
gendo, liberè & licitè valeant.

Ità tamen, ut poſt primam edi- 75.
tionem, ſinè conſenſu ejusdem
IGNATIJ vel Succeſſorum ejus,
nec ab hoc, nec ab alio omnino,
ſub excommunicationis, & 500.
ducatorum pijs operibus appli-
candorum pœnâ, imprimi poſſint.
Ac mandantes nihilominus uni-
verſis & ſingulis locorum Ordina-
rijs, ac perſonis in Eccleſiaſtica
dignitate conſtitutis, & Cathedra-

lium ac Metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis, & eorundem Ordinariorum Vicarijs in Spiritualibus, & Officialibus ubilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, cuivis de Societate prædicta, vel alijs quorum intererit, in præmissis spiritualibus Exercitijs, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ, illos dictâ concessione & approbatione pacificè frui & gaudere: non permittentes eos, per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari: contradictores quoslibet & Rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione postpositâ, coërcendo: invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilij Generalis de duabus Diætis
(dum-

(dummodo ultra tres, aliquis, au-
ctoritate præſentium non traha-
tur) & quibusvis alijs Conſtitutio-
nibus & Ordinationibus Apoſto-
licis, cæteríſque contrarijs qui-
buscumque: Aut ſi aliquibus
communiter vel diviſim, ab ea-
dem ſit Sede indultum, quod in-
terdici, ſuſpendi, vel excommu-
nicari non poſſint per literas Apo-
ſtolicas, non facientes plenam &
expreſſam, ac de verbo ad verbum
de indulto hujusmodi mentio-
nem. Volumus autem, quod
præſentium litterarum tranſum-
ptis, manu Notarij publici ſub-
ſcriptis, & Sigillo alicujus Prælati,
ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſia-
ſtica conſtitutæ, munitis, plena
fides ubique habeatur; & illis ſte-
tur, tam in judicio, quam extra,
acſi originales literæ exhiberentur
& oſtenderentur. Datum Romæ
apud Sanctum Marcum, ſub An-
nullo Piſcatoris, die ultimo Julij,
milleſimo quingenteſimo qua-

dra-

dragesimo octavo, Pontificatûs nostri Anno XIV.

BLO. EP. FULGINEN.

CAPUT IX.

Alij duo Pontifices Maximi specialiter hortantur omnes fideles & invitant Indulgentijs plenarijs, alter etiam Exemplô suô ad Exercitia Spiritualia.

76. PAulus V. in quadam Bulla, quæ refertur in Bullario, Anno 1606. 23. Maij in gratiam earum quoque animarum, quæ in Claustris vitam religiosam sanctissimis legibus ordinatam ducunt, ità scribit:

77. Ijs, qui de suorum Superiorum licentia, à negotijs per decem dies alieni, in cella commorabuntur; aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem, & Spiritum inducentium lectionibus operam suam

ſuam dederint, addendo ſæpè conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri JESU CHRISTI, & aliorum Exercitiorum, Orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem, & noctem Orationibus mentalibus ſe ſe exercendo; faciendo eodem tempore Confeſſionem Generalem, aut annualem, vel ordinariam; Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum Exercitiorum plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Denique Alexander VII. Pontifex maximus, ità Fideles omnes 78.
utriusque ſexûs, cujuscunque ſtatûs, conditionis, aut Ordinis ad Exercitia ſpiritualia S. Ignatij à ſe ma-

magnopere laudata & æſtimata, non ſolùm Indulgentijs, verùm etiam exemplô ſuô & experientiâ propriâ invitat & hortatur his verbis: Conſtitutione 12. Januar. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

79. Cùm, ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Goſwinus Nickel, Præpoſitus Societatis JESU, perſonæ ejusdem Societatis quotannis; & plerumque plurimæ aliæ, ſive Eccleſiaſticæ & aliorum Ordinum & Congregationum Regularium; ſive Laicæ, Exercitijs ſpiritualibus, à S. Ignatio dictæ Societatis Fundatore inſtitutis, per octidunm vacare conſueverint: Nos, qui probè ſcimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi DIRIGENDIS in viam Domini, & CONFIRMANDIS in illa Chriſti fidelium mentibus; devotionem eorum, qui operi

peri adeò pio & ſalutari vacaverint, cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magìs incitare volentes, de omnipotentis DEI miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; omnibus & SINGULIS Chriſti fidelibus, tam prædictæ Societatis aut cujuscũque alteriusOrdinis &CongregationisRegularibus, quàm alijs quibuslibet Eccleſiaſticis &Laicis, qui in domibus memoratæSocietatis, Exercitia prædicta, juxta laudabilem ejusdem Societatis conſuetudinem, per octidui ſpatium quandocumque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes & confeſſi ſacroſanctum Eucharistiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer inDomino concedimus, præſentibus in perpetuum valituris.

Volumus autem, quòd, ſi pro 80.

im-

impetratione, præſentatione, admiſſione ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, eædem præſentes nullæ ſint eo ipſo; quódque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici, vel Secretarij Dictæ Societatis ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Præpoſiti Generalis Societatis prædictæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. in Arce Gandulphi Albanenſis Diæceſis, ſub Annulo Piſcatoris, die XII. Octobris. M.DC.LVII. Pontificatûs noſtri annô tertiô.

G. GUALTERIUS.

PARS III.

De Usu Exercitiornm Spiritualium.

CAPUT I.

Etiam temporibus nostris Usus Exercitiorum Spiritualium viget.

NOn est mihi sermo de usu 81.
Exercitiorum in Societate nostra ; in qua unusquisque singulis annis ea obire solet ; & debet. De secularibus, Ecclesiasticis, imò & alijs Religiosis ajo, apud eos usum, Exercitiorum esse frequentem : quamvìs inæqualiter pro diversitate regionum. Quod ex varijs, ijsque non dubijs relationibus est manifestum. Et inprimis in alma Urbe Romana Exercitijs spiritualibus se se excolunt singulis annis, ex prima linea dignitatis, & nobilitatis Romanæ tum Ecclesiastici, tum sæculares ; inter quos non raró Cardinales Emi-

Eminentiſſimi, Prælati, Abbates, qui in Curia Pontificia morantur. Inter eos etiam fuit Alexander VII. Pontifex maximus, qui, antequam ad ſupremum in terris ſolium evectus eſſet, ea ſummô gaudiô, & animi ſui conſolatione peregit: ideóque Pontifex factus, exemplô etiam ſuô invitavit, & hortatus eſt fideles omnes ad frequentem eorundem uſum; proút ſupra notavimus.

82. Ibidem Congregatio primaria B. V. Annunciatæ, in Collegio Romano Societatis JESU ſingulis annis in Exercitijs ſpiritualibus magna cum ædificatione per dies plures, Sodales ſuos inſtituit. Idem faciunt reliquæ Congregationes, quæ huic primariæ ibi ſunt incorporatæ. Alia etiam Congregatio B. V. ſinè labe originali Conceptæ, in Domo Profeſſa Romana Societatis JESU inſtituta, quæ potiſſimùm è Sacerdotibus Eccleſiaſticis conſtat, eandem lau-

laudabilem consuetudinem tenet, Exercitia Spiritualia obeundi primâ septimanâ post Pascha Dominicæ Resurrectionis, eo modo, & ritu, quo eum cum tota serie Exercitiorum descripsit in quatuor Tomis recenter in lucẽ datis, Director ejusdem Congregationis, & Exercitiorum, Pater Josephus Agnellus. Et quia inter Sacerdotes illos, reperiuntur complures, qui in Monasterijs Virginum, Confessorum & conscientiæ Directorum Officiô funguntur, fit, ut per eos probè excultos, plurimum eadem Exercitia Spiritualia propagentur in animis ab eorum curâ pendentibus.

Juvenes, qui in Seminario Romano, & Collegio Germanico, 83.
in illo flos Nobilitatis Italicæ, in isto Germanicæ, degunt; annis quoque singulis exercentur spiritualiter; idem præstant aliæ nationes, in Collegijs sat multis, quæ in alma Urbe Directioni PP. Socie-

cie-

cietatis commendata ſunt. Eà verò tanta cum animi applicatione, alacritate atque rerum minimarum obſervantia, & magno profectu in virtutibus peragunt Juvenes Nobiliſſimi, & vivaciſſimi, ut mihi, & alijs eos contemplantibus, ac demirantibus, non ſemel dulciſſimas lacrymas, eorum compoſitio, fervor, atque devotio prolicuerit.

84. Neapoli jam conſuetum eſt, annis ſingulis Exercitia ſpiritualia tradi Hebdomadâ Sanctâ Viris à dignitatibus atque Magiſtratibus, quos gerunt, conſpicuis, in Domo Profeſſa Societatis JESU; ad quæ facienda Annô 1679. Virorum Nobilium, Eccleſiaſticorum, & complurium Religioſorum è diverſis Familijs Sacris tantus fuit concurſus, ut locus alioquin ampliſſimus huic functioni deſtinatus eô Annô fuerit peranguſtus. Eodem tempore, ut omnibus de fructu animæ provideretur, fieri cæptum

ptum eſt, quòd etiam hodie, ùt intelligo factitatur; id quod addo. Forum peramplum, cui Domus Profeſſa exponitur, erat refertiſſimum rhedis, & ſervis famulantibus. Iſti nè vel otio, vel ludo, contentionibus, aut blasphemijs vacarent; ab uno Sacerdote humaniter, & benignè congregati, ſermone ſpirituali eorum utilitatibus ſpiritualibus accomodato ſunt inſtructi, magnô emendationis fructu conſecutô.

In eadem Urbe Nobiliſſimus 85.
quoque mos eſt, Exercitia ſpiritualia cum expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti ante Dominicam ſexageſimæ tradere, in famoſis carceribus populi nec non in Congregatione captivorum; quo tempore captivi illi publicas obire ſolent pro delictis ſuis pœnas, & Communiones Generales cum devota ſupplicatione circa ſui carceris atrium, conſequentibus ſemper magnis morum & animorum

imutationibus, & Confeſſionibus Generalibus. Mediolani, Genuæ, Taurini Cremonæ, Congregationes Nobilium, quovis Anno ſemel Exercitijs ſpiritualibus vacant: jam ſinguli ſeorſim in cubiculis & ab invicem diſcreti; jam omnes ſimul uno in Oratorio collecti. Rurſus Bononiæ, prout in litteris 18. Aprilis. 1696. datis perſcripſit ad me Vir amicus & Religioſus, illic tempore quadrageſimali in Eccleſia Novitiatûs noſtri Exercitijs ſpiritualibus operam dediſſe Matronas à Nobilitate claras nonaginta; deinde in aula majore Collegij noſtri Viros Illuſtres, & minimè plebejos circiter ducentos, & quinquaginta excultos fuiſſe.

CAPUT II.

De frequenti Uſu Exercitiorum in alijs Urbibus.

86. NOn poſtremô locô reponendus eſt uſus frequentiſſimus Exer-

Exercitiorum ſpiritualium per tres, vel octo dies, inter illos, qui litteris, & ſapientiæ ſuperiorum facultatum navant operam ſub diſciplina, & Magiſterio Societatis JESU. Bononiæ, ab Annis aliquot Congregatio B. V. in Collegio Societatis erecta ſub titulo in Cælos aſſumptæ, amplexa eſt utiliſſimam iſtam Sodalibus ſuis Exercitia Spiritualia tradendi conſuetudinem; ad quam antiquiſſimæ, & inclytæ UniverſitatisBononienſis ſtudioſi tam proprij, & domeſtici, quàm extranei, adeò copioſi accurrunt; ut Anno 1685. Numerus eorum aſcenderit ad centum ſeptuaginta quinque præter eos, qui in Scholis Societatis docebantur. Acceſſit integrum Collegium PontificiciumMontisAlti, præter Clerum, & Doctores plurimos, qui exemplô ſuô præluxerunt cæteris ſuæ Univerſitatis membris.

Ibidem Sanctè conſpirârunt 87.

adolescentes triginta tres: in honorem annorum totidem vitæ Christi, qui ludis & relaxationibus bacchanaliorum se privârunt, & ultimum triduum antecinerale in meditationibus rerum æternarum impenderunt: quod Bresciæ factum priùs. Suum quoque dierum numerum rebus cælestibus contemplandis constitutum habet in Quadragesima, Illustrissimum & Nobilissimum Collegium Parmense; Collegium Taurinense; Brescianum, & Collegia Bononiensia sub protectione Divi Francisci Xaverij, & B. Aloysij Conzagæ erecta, in quibus omnibus juventus nobilissima sub regimine PP. Societatis mirè, tum in litteris, tum in virtutibus modô jam dictô excolitur.

88. Quid porrò? Nobiles quidam Juvenes Mediolani initium fecerunt annis istis, ut certô anni tempore excedant Urbe; seque per dies octo in quandam villam, ad id

id destinatam, & ab Urbe non longè dissitam recipiant; in qua citra omnes expensas proprias sub directione Sacerdotis de Societate, vacant negotijs æternitatis & animæ suæ rite componendis, & per Exercitia spiritualia seriô tractandis. Neapoli denique singulis annis in aula maxima Collegij congregantur omnes, qui Magistros in altioribus Facultatibus auscultant Auditores, octo diebus ante Ascensionem Domini; ibique Philosophiæ cælesti Exercitiorum spiritualium diebus octo vacant. Accurrunt, & admittuntur, eò etiam multi legum, & medicinæ studiosi, nonnulli etiam ex humanioribus disciplinis, qui per ætatem ad ea idonei censentur.

Sed nè Patriæ quoque nostræ 89.
simus immemores; Benignitas Dei, quæ omnibus ad salutem consequendam copiosa præbet auxilia, sanctum istum Exercitiorum

ſpiritualium uſum in noſtras quoque induci fecit Univerſitates. Vidit non ſinè admiratione, atque ædificatione rem nunquam à ſe viſam, & Univerſitas Olomucenſis, & Univerſitas Pragenſis, ſucceſſum optatiſſimum Exercitiorum ſpiritualium à ſua Juventute obitorum. De quo pauca referre operæ pretium erit, ea potiſſimùm, quæ oculis proprijs licuit intueri.

CAPUT III.

De exercitijs Spiritualibus, à Juventute Univerſitatis Olomucenſis, & Pragenſis feliciter peractis.

90. ANno 1694. die 21. Junij abſolverunt, ùt mos eſt, in Univerſitate Olomucenſi curſum triennalem Philoſophiæ ſuæ Metaphiſici, qui manè in aula Univerſitatis ultimâ lectione & valedictione à Magiſtro ſuo acceptâ, à ſtudio Philoſophico abſoluti ſunt; atque ad ingreſſum eodem veſpere

Exer-

Exercitiorum ſpiritualium invitati, comparuerunt quinquaginta, & unus; & per octiduum totum mirâ conſtantiâ perſeverârunt. Primis ſtatim diebus eam in moribus prodiderunt mutationem, ut intuentibus ſe mox alij viderentur, quàm priùs fuerint; haud certè diſſimiles ijs, qui graviſſimas regnorum atque imperiorum curas animo circumferrent. Et ſanè gerebant curas utique graviſſimas; eas videlicet quas nunquam priùs æqua lance ponderarûnt, æternæ felicitatis, æternæque calamitatis.

Rem totam breviter deſcriptam ex litteris annuis Collegij 91.
Olomucenſis, anni illius 1694. huc transferre juvat, quæ ſic habent. Iſtud verò ſicut ab annis retro elapſis nunquam memorabile, ità in præſenti, minimè ſilentiô prætereundum; quòd videlicèt, approbante illud ipſum Provinciæ Moderatore, ex Metaphi-

ſicæ Auditoribus, priusquam e-menſô Philoſophici cursûs ſtudiô, ad optatam poſt triennales in Peripato labores, quietem digrederentur; contractos (ùt fieri amat) cum ſcholaſticis, conſcentiarum pulveres, octiduanâ S. P. Ignatij aſcenſi domi noſtræ abſterſerunt quinquaginta, & unus. Quibus cum Exercitiorum vel ipſum nomen ad primam inſinuationem alienum non immeritò, & peregrinum videretur, poſt prolixum nihilominus de præſtantia eorundem, utilitate, Pontificum, ac ſummorum orbis capitum æſtimatione, horis antemeridianis habitum ſermonem, terni duntaxat ijsdem vacare expetiverunt; uſque dum reſumpta poſt meridiem ſalutari deſuper deliberatione, quadraginta octo alij animos, & dextras, ſuavi huic jugo Chriſti applicuiſſent.

Annuæ 92. Collegij Olom. 1794.

Heroica proinde à ſingulis reſolutione, & non exigua rei no-

vita-

vitate attonitorum ex facultatibus
cæteris expectatione, itum est sub
vesperam 21. Junij ad Sacellum
Collegij domesticum, ubi præmissa
à Professore, & Directore simul
nervosa dictione, certis diei tempora
sunt attributa occupationibus;
& materiæ in singulis meditationibus
ruminandæ deinceps
prolatæ. Et tametsi sub exordium
fuerit pronissimum opinari, arduum
isthoc exercitandi spiritûs
octiduum ad calcem usque à pauculis
perducendum; perduxêre
nihilominus omnes & singuli solida
contemplationum varietate,
& cælestium deliciarum gustu illecti;
sic ut pauculos eorundem repereris,
qui ad illa quotannis,
dummodo occasio præberetur,
iteranda orexim non retulissent.
Elucebat tunc temporis ea in omnibus
modestia, ea exteriorum
morum compositiō; quâ major
à bene ordinatæ cujuslibet Religionis
tironibus nequivisset desi-

derari. Quin imò Collegium noſtrum Alexandrinæ Urbis theatrum, & Sacellum domeſticum Maximini Regiam intuentibus referre videbatur, quando à quinquagenis ſophis adversûs carnem & mundum decertantibus, juxta præſcripta horarum intervalla accuratiſſimè frequentabantur. Cujus non tam ingenioſi, quàm ab uniuscujusque de ſemetipſo victoria operoſi certaminis ſi conſignare cuperemus, laureolas; juſtum exinde poſſemus erigere trophæum. Ità annuæ Collegij Olomucenſis.

93. Hoc Sanctum opus Anno ſequenti, qui fuit 1695. tranſijt feliciter ad Juventutem Univerſitatis Pragenſis, ubi abſoluta dictatione Logicæ, ex ducentis, & ſeptuaginta illius Auditoribus, centum & ſeptuaginta, præter alios ex alijs facultatibus, & claſſibus triduô, ſpontè ſua exerceri voluerunt, ſuo incredibili cum ſolatio, & fru-

& fructu, ob conſcientias confeſſionibus à peccatis vitæ totius expurgatas, alióſque fructus uberrimos relatos. Hi tandem Anno 1697. prope finem Philoſophiæ conſtituti, & alij complures, memores tridui utiliſſimi annis ante duobus jam deguſtati; plenum octidui curſum, quo exercere ſe poſſent à Magiſtro expetiverunt, obtinuerúntque. Indicti ergo fuêre dies octo hebdomadæ ſanctæ; quibus Univerſitas à Scholis publicis vacare ſolet. Locus in Oratorium deligendus tunc maximè opportunus videbatur Auditorium Sacræ Theologiæ, quod ritè diſpoſitum, & rebus ad finem propoſitum conducentibus probè inſtructum, ità mox, die ſequenti repletum eſt, ex diverſis hominum claſſibus, ut locus alioquin peramplus, accedentibus non ſuperfuerit. Aderant omnium pene facultatum ſtudioſi, ex prima etiam Nobilitate, Patrij,

atque extranei ; Ecclesiastici, & sæculares : his accessêre Viri à Magistratibus & Nobilitate spectabiles ; pluresque dolebant postea, notitiam istam ad se tam serò pervenisse ; ut tanti boni Communione se felices reddere nequiverint. Hi verò quibus hæc optima sors à DEO donata est, inexplicabili gaudiô & jubilô animi gratulabantur sibi de tanta felicitate Sanctissimi octidui, unusquisque laudibus Exercitia spiritualia efferendo, suique animi sensa, & commoda inde comparata festivè narrando.

CAPUT IV.

Quantum ad hoc valeat Zelus & Exemplum Præsidum, & Moderatorum tam studiorum quàm Sodalitatum B. V. MARIÆ.

94. CONtinere hìc non valeo, intimum animi mei aliorúmque votum ac desiderium ad promo-

movendum ſacrum hoc negotiū animarum lucrandarum in Univerſitatibus, Accademijs, & Sodalitatibus; in quibus copioſa, & idonea confluit ad litteras capeſſendas Juventus. O quàm grande beneficium Præſides, ac Moderatores ſtudiorum, quin & ipſi Magiſtri ac Profeſſores, conferendi poteſtatem atque commoditatem dum velint, habent, non ſolùm proprijs ſingulorum Auditorum, ac diſcipulorum ſuorum animis; verùm ijs quoque Communitatibus, & Civitatibus, in quibus aut verſantur Juvenes dum ſtudent, aut poſt abſoluta ſtudia verſabuntur; ſi ipſi ſeriâ, & ſincerâ pro illo Zelo ſalutis animarum, quo flagrare poſſunt & forte debent, utì & pro bono publico, adhortatione aut etiam exemplô ſuaviter, ac fortiter ſuæ curæ & inſtructioni commiſſos inducere conentur ad ſacra iſta Exercitia, ſi non ſæpiùs, ſemel ſaltèm ſub

Magisterio suo peragenda; ijsque non solùm Ciceronis, Aristotelis, Hippocratis, Bartoli, aut Magistri sententias explanent, verùm etiam suasione, dum aliter non possunt, ad cælestia documenta in Exercitijs Spiritualibus hauriendа, propinent. Brevi sanè viderent eos, ut moribus probiores, sic ad omnem litteraturam habiliores: quando quidem certissimum est illud Spiritûs Sancti oraculum; *Initium Sapientiæ, Timor Domini*; cessarent utique tandem, sicubi fortassis accidunt, graviora flagitia, ùt rixæ, homicidia, ebrietates, blasphemiæ, rapinæ; & alia nefanda; à quibus non carceres, non catenæ, non plagæ, aliæve pœnæ fortè infligi solitæ absterrebunt, quamdiu malè ordinatæ affectiones, veluti radices pessimæ fructuum seipsis pejorū, non tollentur; tollentur autem considerationibus veritatum æternarum, pœnarumque noxæ lethalis,

lis, denique cruciatuum Patientis & morientis Dei, & alijs hujusmodi. Harum enim eſt proprium, *præparare*, & *diſponere animam, ad tollendas affectiones omnes mali ordinatas*, ùt ſupra explicatum eſt. Part. 1. c. 3. n. 10.

95. Neque prætendi poſſunt difficultates aliæ, quàm eæ, quas humanæ ſalutis inimicus dæmon excitare, atque objicere communiter ſolet rebus longè ſanctiſſimis; eæ tamen omnes DEO tunc vel maximè per gratiam ſpecialem adjuvante, ſuperari & poſſunt, & ſolent à Zelo ſincero gloriæ DEI, & ſalutis animarum. Exempla non deſunt in Romanis, Neapolitanis, Bononienſibus, Parmenſibus, Mediolanenſibus, item Olomucenſibus, & Pragenſibus Exercitijs Academicorum, quibus & novitatis ſpecies jam ſublata eſt, & via cæteris plana facilisque parata. Cætera facilè obtinebit ad tantum opus prudens & fervens

in-

induſtria DEO fidens, nec non Authoritas Præſidum, & Moderatorum; qui eapropter magnâ fiduciâ ſe cenſere in mortis articulo poterunt cum gaudio, & lætitia, in numero eorum, de quibus
Daniel. 12. ſcriptum eſt apud Danielem: *Qui autem docti fuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates.*

CAPUT V.

De Uſu Exercitiorum Spiritualium in Regno Galliæ.

96. QUamvis optandum ſit, ut omne genus & omnis ordo, ac ſtatus hominum ſemel ſaltem in vita, ad Exercitia Spiritualia ſe ſe recipiant. Id tamen maximè deſiderandum eſſe videtur in primis à Perſonis utriusque ſexûs nobilitate illuſtribus; item à Profeſſoribus & Doctoribus quarumcunque facultatū; uti & Magiſtrati-

tibus; propter exemplum, quod vim magnam habet in alios; & ab ijs potiſſimùm, qui à DEO majori habilitate, melioribúſque talentis, & dotibus naturæ donati & ornati ſunt, puta intellectu, judiciô, & prudentiâ. O! quàm multa, & mira intimè perſpicerent, ad lumen divinum, in ijs, inquibus cum tota illa, quam ſe habere putant, humana ſcientia, peregrini admodum ſunt; quia non recogitant corde veritates altiſſimas Fidei Divinæ, & Philoſophiæ cœleſtis. Nimirum *non eſt, qui recogitet in corde.* Et ideo *deſolatione deſolata eſt terra.* Inde fit, ut vitæ, morúmque ſanctimonia, digniſſima certè præ cæteris omnibus rebus creatis, homine portio, tam exiguas & prope nullas agat in animis mortalium radices; *defecit, ſanctus!* cur? *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.* Eccur in omni celebriore urbe non deſtinatur locus cer-

certus, in quo se se recipere possint Exercitijs Spiritualibus operam dare volentes? tot, ac tanta opera pia, hinc inde visuntur, eccur non etiam id genus refugij, quo à sæculi tumultibus, modicum seggregati fideles, recurrere valeant ad recogitandos dies antiquos, & annos æternos, in mente habendos? Singulare quidpiam in hoc genere Asceteriorum seu domorum, in quibus Exercitia totô annô traduntur, habet Gallia; De quibus notitiam aliquam hîc addere non parum operæ pretium duxi. Hôc ipso tempore, quô ista scribo, fertur, ultrà centum Personas, viros fæmináque in domibus illis, seu Asceterijs exerceri; jam enim præter Asceteria viris exercendis instituta, Nobilis & principalis fæmina, domum ad instar Monasterij suscitavit, atque legibus optimis prudenter ac discretè instructam aperuit fæminis Nobilibus, quæ ibi Spiritualibus Exer-

Exercitijs frui ſolent. Præcipuum autem aſceterium eſt illud, quod Patres Societatis Collegij Venetenſis in Britannia Adminiſtrant, de quo ſequentem narrationem è Gallijs per Romam, typis mandatã annô præſenti 1698. obtinui, eámque fideliter, & integrè hîc refero, ſola duntaxat capitum, & titulorum diviſione additâ, quæ ad claritatem, & jucunditatem Lectoris facere poſſe judicavi.

CAPUT VI.

Narratio Spiritualium bonorum, quæ in Venetenſi Exercitiorum Domo Societatis JESU operari dignatur DEUS.

ERecta eſt ab aliquot annis So- 97·
cietati hac in Urbe *Exercitiorum Domus*, ſic dicta, quòd excolendis per Exercitia Spiritualia externis hominibus tota dedita ſit. In qua per DEI gratiam ſic illa florent, ut inde fructus uberrimi

col-

colligantur. Huc enim modò trecenti annis ſingulis, modò quadringenti venerunt. Anno verò, qui ultimùm anteceſſit, nimirum 1665. fere ſeptingenti, poſtrenô 1666. octigenti quadraginta novem.

98. Conveniunt quotannis viginti Turmæ ſecundùm excuſum indicem dierum ingreſsûs, qui quidem index procul in omnes Provinciæ partes diſſeminatur. Veniunt quolibet menſe duæ, Octobri excepto, qui vacat: exeptis item Novembri ac Juniô: Novembri quidem propter Feſtum Sanctorum Omnium: Juniò verô, Feſtô Corporis Chriſti, qui in eum menſem incidit, obſtante. Per Octavas enim horum Feſtorum Sacerdotibus occupatis, nonniſi ſemel in utroque illo menſe octiduanus ſeceſſus indicitur.

99. Neque ex una ſolùm Diæceſi, ſed & è multis huc confluunt, ex quatuor perſæpe quinquéve, aut

etiam

etiam è pluribus: adeò ut decem, quindecim & triginta nonnunquam aut plures etiam emenſi leucas, hoc in Aſceterium conveniant.

Huc omnis ætatis homines ab 100.
annis viginti ad ſeptuaginta, imò etiam & ſeniô confecti, conditionis verò cujusvis: & inter Eccleſiaſticos quidem Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus Venetenſis, Dominus Vicarius Generalis, Canonici, Parochi, Doctores Concionatores, Miſſionarij, Confeſſarij aliquando triginta, quadraginta interdum eadem in Turma Sacerdotes, & ſæpè plures numerantur. E ſecularibus verò ſupremi Parlamenti Magiſtratûs, Nobiles, Comites, Barones, Gubernatores, Milites, Judices, Advocati, Procuratores, Notarij, Mercatores, Artifices, Primi, Medij, infimi Reipublicæ.

Et ij quidem in omnibus Exer- 101.
citantur animorum motus, ut & pu-

publicis in exhortationibus, in Confessionibus, & in cubiculis, lacrymæ frequentes sint & singultus. Ea verò mutatio morum, ut & cessent vitia, & incentiva vitiorum (cujusmodi sunt compotationes, choreæ, convivia, luxus, alea, blasphemiæ) passim extinquantur: refloreat verò pietas, frequentior vigeat Sacramentorum Usus, Piæ Confraternitates Rosarij, perpetuæ SS. Sacramenti Adorationes, & aliæ id genus consuetudines religiosissimæ renoventur: crebræ fiant restitutiones, reconciliationes quam plurimæ, aliáque istiusmodi pia opera passim edantur.

102. Sæpe numero novi huc veniunt Parochi, ut parent se ad Parochiam ritè procurandam: Sacerdotes item novi ad primum Sacrum puriùs obeundum, novi Confessarij ad Confessiones audiendas, Concionatores ad concionandum, ad moriendum senes,

Ju-

Juvenes ad eligendum vitæ ſtatum, in quo perſeverent; ſunt qui hinc abeunt in clauſtra, Religioſam illic vitam profeſſuri.

Qui Rempublicam Eccleſiaſticam adminiſtrant, ut & Patresfamilias, ij ex quo hac Domo Exercitijs exculti ſemel abſceſsêre, ex illo muneribus ſuis longè meliùs perfunguntur. Innumeros porrò ſucceſſus iſte & Collegio & Societati Amicos parat. Quin & illos etiam qui à nobis alieniſſimi ſunt, ſæpè itá conciliat, ut aliorum & verbis & exemplis invitati, ad nos Exercitiorum causâ huc accedere non recuſent. Imò è Primoribus urbis aliquot, quos jam pridem infenſos experiebamur, ità jam noſtri ſunt per hæc Exercitia effecti, ut ex quo Societas hac in Urbe Collegium habere cœpit, amiciores experta ſit nullos. Hæc autem communis quædam omnium benevolentia mirum quantùm & domi & foris

103.

prodeſt ad munia noſtra cum fru-ctu obeunda.

CAPUT VII.

Quomodo hæc domus in Uſum fuerit deſignata.

104. MOdus ipſe, quo hæc domus talem eſt in Uſum deſtinata, inuſitati aliquid habet. Cùm enim conſtructa fuiſſet in Seminarium Clericorum ab aliquot è noſtris regendum; tum verò Clerus interceſſit, nè Clerici, Societatis curæ crederentur. Quid tum factum? D. Vicarius Generalis, acceptâ, cum in ipſamet Domo Exercitijs vacaret, divinitùs inſpiratione, totum de Seminario conſilium in Exercitiorum Domum commutavit. Quæ res tam feliciter ceſſit, ut ex varijs Armoricæ locis ad ea obeunda non ità multò poſt plurimi confluxerint: &, quod mirêre, illi ipſi Parochi, qui Clericos ſuos nobis com-

committi noluerant priùs, jam ſe ipſos, Sacerdotéſque ſuos ab eo tempore tradant inſtituendos.

Sanè hoc mirum fuit & arca- 105.
num prorſùs Divinæ Sapientiæ conſilium, quo nimirùm Authore tanta ædificia, tótque cubicula conſtructa ſunt, ad Seminarium ibi conſtituendum, quæ ad Exercitiorum Domum nunquam profectò exædificata fuiſſent: cujuſmodi exemplum Domûs tam amplæ, tot diſtinctæ cubiculis tótque ab hominibus frequentatæ, nuſpiam in orbe repereris. Ædes autem iſtæ ubi ad faſtigium perductæ ſunt; tum verò, non in Seminarium Clericorum, ſed in Exercitiorum Domum ut converterentur, optare ſe ſignificavit DEUS.

Atque ut de Mortuis etiam, 106.
qui Exercitijs ibidem operam dederunt, commemoretur aliquid, ſufficient exempla hæc duo, quæ recentiſſima ſunt. Celebris qui-

dam ac prædives Mercator, Nobilis deinde vir ac potens, paulò post Exercitia, quæ unus in postrema Paschatis, alter in Pentecostes ultima Turma fecerat: ambo mortem obiêre, sed eo pietatis Christianæ sensu, ut nihil ultrà desiderari posse videretur.

107. Et Mercator quidem nec prorogandæ vitæ vel tantisper cupidus, nec Liberorum aut Uxoris amore, bonísve ullis irretitus, asserenti Medico nihil esse desperandum, idémque obtrudentibus Amicis, constanter respondit, eo se morbo moriturum. Sanè ipse suavissima sui in Exercitijs secessûs recordatione mirificè recreabatur: addebátque identidem: quid est quod redire in vitam exoptem, mediam jam vi morbi emensus viam? Atque eô defunctô Judex quidam omninò pius, ijsdem & ipse aliquoties Exercitijs excultus scripsit, eo illum modo decessisse, ut tam certò salvum eum crederet, ac si ex revelatione didicisset,

Nobilis verò annos natus tan- 108.
tum viginti octo, dum ex morbo, quo poſtmodum mortuus eſt, decumberet, non ſolùm coram omnibus profeſſus, ſe, niſi Exercitia interceſſiſſent, damnandum fuiſſe; ſed uxori etiam id adjecit: dolorem equidem, quòd & abs te & à liberis tam citò avellar, ſi qua eſſet alia ſeparationis noſtræ cauſa; ſed quando ad viſendum DEUM abeo, certè dolendum non eſt. Quin & illo ipſo quadrante qui mortem anteceſſit, pia quædam propoſita, quæ in Exercitijs ipſe perſcripſerat; ab uno è ſervis ſibi jubebat identidem prælegi. Hortabatur idem orabátque circumſtantes Nobiles, ut ad ſanctã, quam ipſe vocabat, Exercitiorum Domum itarent. Morti proximus exclamabat ſubinde, ô mi DEUS! gratias tibi ago, quòd per tuam gratiam Exercitijs fuerim perfunctus. O felicem! ô pre-

tiosum secessum meum. Denique tanto perfusus divini amoris æstu decessit, ut prior Monasterij Carmelitarum, qui illic aderat præsens, non nisi cum admiratione de ipso loqueretur: & Medicus, qui à multis annis plurima curabat Monasteria, dixerit se nunquam religiosam personam vidisse, quæ tam sanctè moreretur.

CAPUT VIII.

Mira quædam de hac Domo.

109. QUod verò spectat res eas, quæ inusitatæ magis censeri possent, duæ trésve ex multis seligentur. Primùm illud: Sacerdoti perito, probo, & prudenti, dum hìc Exercitijs incumberet, non de nocte aut dormienti, sed de die ac vigilanti Beatissima Virgo visendam se se præbuit, quæ pro ipso Filium orabat cælesti undiqueCuriâ circumfusa. Hinc divino ardore ità succensus est, ut per sex heb-

hebdomadas æſtus ille cæleſtis ab eo non receſſerit; conceſſum deinde eidem fuerit contemplationis donum; quòdque certiſſimum eſt tantæ gratiæ ſignum, amor ſæculi omnis ad mortem uſque in ejus pectore fuerit extinctus.

Alterum, pijſſimæ cujuſdam viduæ quæ defuncta eſt ante aliquot annos, ſub communionem ipſam objecta ſunt menti impedimenta ea omnia, quæ adverſus hanc domum poſtmodum oppoſita ſunt; tum magnus iſte hominum huc ad Exercitia confluentium concurſus ei ſe ſe obtulit. 110.

Tertium denique; antequam ipſa Exercitiorum Domus conſtructa eſſet, aut ullum extaret illius ædificandæ veſtigium, pientiſſima quædam Perſona noctu ſomniavit, inventum eſſe theſaurum eo ipſo in loco, in quo jam fabricata eſt Domus, quique tum temporis hortus erat: at viris ſo- 111.

lùm licere ex eo theſauro ditari. Sanè ipſa non angebatur parum, quòd Sexum alterum ab illo refoſſo theſauro excluſum videret. Cúmque poſtmodum animadvertit, tot ac tantas gratiarum opes hac in Domo Viris communicari, ſæpè ipſi ſomnij ſui venit in mentem.

112. Et certè communis quædam eſt his in locis hominum opinio, ſi DEUS optimus maximus, ità ùt cœpit, benedictione ſuâ eam Domum pergat cumulare, naſcituram inde publicam & generalem morum reformationem, cujus tam læta longè latéque ſe ſe explicant initia. Ipſe nimirùm DEUS, qui pro varietate temporum varia Eccleſiæ ſuæ ad ſalutem animorum auxilia ſubminiſtrat, iſtud ipſum hoc in depravatiſſimo ſæculo videtur inſpirâſſe, ut cum uſitata Confeſſionum, Concionúmque media refrigeſcant in dies, & minùs homines afficiant, in ſolitu-

tudinem eos deduceret, ut ibi, juxta ſcripturam, ipſis ad cor loqueretur.

CAPUT IX.

Deſcribitur domus, & in ea vivendi ratio.

POrrò ut intelligi poſſint, quæ & qualis Domus Exercitiorum ſit, & quæ in ea vivendi ratio teneatur; conſtat ædificijs duobus ampliſſimis & tabulatorum trium in altitudinem ſurgentibus, pro quibus conſtruendis, ſuſtentandis etiam tribus Societatis Patribus, ſupellectile comparanda, reparationibúſque neceſſarijs, impenſæ primùm, tum annuus ex fundo reditus conſtitutus eſt à pijs quibuſdam Viris. Cubicula ſunt in ea Domo ſexaginta; in quolibet Lectulus, Menſa, Oratorium, Cathedra, Imago Crucifixi, aliæque pijſſimæ, libri duo, Meditationis unus, alter Lectionis, Præ- 113.

terea Refectorium sanè amplum, Aula magna, area, hortus, campana, affixæ in multis locis Imagines piæ, exscriptæ sacris è Paginis sententiæ, quæ in oculos transeuntium incurrant: in summa verò ædificij unius parte Sacellum, in quo cum lampade ardet, qui ignem venit mittere in terras, Divinus videlicèt ipse ignis, SS. Sacramentum.

114. Tres illic Patres habitant & decumbunt, unusquisque in quolibet Tabulato, sed in Collegio unà cum alijs cibum sumunt: qui quidem cum necessaria supellectile, linteis, candelis, ligno, sufficitur Externis ab honesto Viro, qui vicinâ in domo commoratur: unde facilè parata feruntur omnia in Triclinium; eâdem horâ, qua in Collegio Nostri, simul mensæ accumbunt ij omnes, qui Exercitijs vacant: quo tempore silentium servatur, & ab externo Clerico pium aliquid toti mensæ prælegitur.

tur. Idem ipſe benedicit & agit gratias. Interea toto illo tempore adeſt è Patribus unus, intentus nè quid alicui deſit, & ut omnia ritè fiant; itque ipſe poſtea ad ſecundam menſam: quo tempore venit alter recreationi ut interſit, quæ in aula communi habetur: ubi per hyemem ignis accenditur. Sedent interim omnes, collationémque de rebus pijs à Patre inſtitutam ſic audiunt, ut privata colloquia per id tempus miſceat nemo. Explicatur eis aliquid familiare juxta & pium: aut quæſtio interdum aliqua proponitur, ſive de ipſo Exercitiorum fine, ſive de medijs, quæ ad finem illum ſalutémque conſequendam pertineant.

Atque ità hæc domus ſpiritualis 115.
tota dici poteſt: tum quia ſolis rebus ſpiritualibus & divinis tota impenditur: tum quia parandi cibi curam admittit nullam. Ex quo id oritur commodi, quòd

 non

non tantùm nihil accipimus ab ijs, qui Exercitijs vacant, ſed ab omni etiam quidlibet accipiendi ſuſpicione immnnes ſimus. Reſtat jam videre quænam potiſſimùm media illa ſint, quæ cum DEI gratia conferunt, ut hic Exercitia abs tot hominibus ſinè ullo tædio, imò & cum alacritate non exigua & tanto cum fructu fiant. Quæ res DEO dante & hìc & alibi perſtabit ſemper, ubi hæc obſervabuntur, quæ mox dicenda ſunt.

CAPUT X.

Media quæ cum DEI gratia efficiunt, ut huc ad Exercitia veniant quàm plurimi.

116. PRimò Illuſtriſſimus D. Epiſcopus mandatô Typis impreſsô Exercitia egregiè commendavit. Tum D. Vicarius Generalis indicem dierum quibus huc pro Exercitijs ingredi licet, typis etiã excuſum ad omnes Diœceſis Paro-

rochias ſubmittit, eúmque in Sacriſtijs affigi jubet. Deinde, Patres Exercitiorum Domûs illum ipſum dictum indicem varia in loca extra Diœceſim diſſeminant. Adde, quòd ij, qui Exercitia peregerunt, & alios ut veniant, invitent, & redeant ipſi perſæpe. Præcipuè verò Parochi Parochianos ſuos; Auditores ſuos, Concionatores; Confeſſarij pœnitentes, quâ verbô, quâ exemplô ſtudent ad Exercitia cohortari. Et certè fuit Parochus, qui ſecum vel unâ vice adduxit è Parochianis ſuis ad viginti novem, quorum ipſe trigeſimus erat. Sic autem tot hominum cujuſvis conditionis hunc in locum confluentium exempla invitant, ut ſcriberet non ità pridem Externus quidam ad unum è Patribus, gaudere ſe, quòd cùm initiô puderet ad Exercitia venire ob Excultorum paucitatem, jam ob multitudinem non venire ſuppudeat.

117. Invitat vel maximè vitæ ac morum mutatio, qualis omnino deprehenditur in ijs, qui ex hac domo egrediuntur. Invitant & ipsa Ædium commoda non minima, tot nimirnm disposita Cubicula; & quæ tum ad corpus, tum ad animum copiosè subministrantur. Faciunt quoque ad Venientium multitudinem impensæ leves, sexdecim videlicèt assium quolibet die. Eadémque media, quæ conferunt ut Exercitia sinè tædio, sed cum alacritate & fructu fiant; eadem etiam conferunt ut ità frequententur.

CAPUT XI.

Media quæ cum DEI gratia conferunt, ut Exercitia sinè tædio, sed cum alacritate & fructu fiant.

118. PAtres qui in ministerium suum implendum strenuè incumbunt, humilitatémque ac charitatem

tem aſſiduitate & urbanitate temperant, eâ ratione Venientium animos tractant, quæ nihil Collegij, nihil præceptoris authoritatem redoleat, ſed ſinceram quandam pietatem, & prolixam ad ſalutem omnium promovendam, voluntatem: Crebræ deinde exhortationes, quâ unâ re maximè Exercitia vigent. Earum quippe vel una plus ad mentes colluſtrandas, voluntatéſque inflamandas poteſt, quam meditationes vel plurimæ. Fiunt autem in Sacello bis in die, unáque per horam integram, manè prima, ſecunda veſperè. Et ex illis quidem communes aliquando ad omnes habentur; aliquando diviſæ eodem tempore fiunt, Eccleſiaſticæ Eccleſiaſticis ſeparatim, ſæculares Sæcularibus.

Recreationes porrò, tùm à prandio, tùm à cœna per horam fiunt. Quæ quidem neceſſariæ omninò videntur hominibus ijs, 119.

 qui

qui ſolitudinis tantæ ſunt omninò rudes. Jucundæ autem ex æquo & utiles habentur, eô quòd explicetur ijs aliquid, quod ſit accommodatum fini, qui eâ die in Exercitijs intenditur. Res iſtæ ùt plurimùm in ea tractantur, de Oratione, Confeſſione, Contritione, Communione; Item de fructibus ijs, qui ex peccatis admiſſis percipi & poſſunt & debent : de remedijs peccatorum, de occaſionibus vitandis, de medijs, quæ conferant ad fructum Exercitiorum conſervandum, malam etiam mortem fugiendam; déque alijs id genus. Atque ut amœniores ſint; quæſtionem aliquam utilem proponere identidem aſſolet Pater : cui reſpondet, qui voluerit. Nec enim quiſquam ut reſpondeat appellatur. Ubi autem quis reſpondit, tùm verò reſponſum excipit Pater, probat, confirmat, piéque juxta ac ſuaviter abſque ulla contentione quàm poteſt utiliſ-

lissimam reddit hanc interrogandi ac respondendi viam.

Huc accedunt visitationes in cubiculis crebræ, ubi de meditationibus factis, deque faciendis, de dispositione animi, de dubijs si quæ sint, & alijs conscientiæ rebus familiariter agitur. Confessionum autem ritè obeundarum magna sunt in omnem partem adjumenta, tùm perfectâ à terrenis rebus separatione, & cum alijs sæculi hominibus interdictô commerciô, tùm publicis exercitationibus, privatis colloquijs, Librorum lectione, qui perbenignè ipsis commodantur. Et in Confessionibus quidem magna servatur libertas. Nam secunda Exercitiorum die lector cum calamo & charta lustrat omnium cubicula, uniuscujusque nomen exscribit, simul & Patris, sive Domûs Exercitiorum, sive Collegij, cui confiteri velit. Postea dat electo Confessario schedulam, in qua 120.

sunt

ſunt nomina, tùm eorum qui expiare apud ipſum peccata volunt, tum etiam cubiculorum in quibus habitant. Maximum tamen confeſſionum pondus in Patres illius domûs ſemper incumbit. Id verò ità fit, ut ſit major unicuique libertas eligendi, quem voluerit Confeſſarium, & ut cuique plus temporis tribui faciliùs poſſit ad obeundas confeſſiones, quæ ut plurimùm prolixæ ſunt, quòd vel de vita integra, vel de annis aliquot inſtitui ſoleant generales.

121. Audita verò Confeſſione differtur ſæpiùs in aliam diem Abſolutio, ut peccatorum memoriâ exſoluti, ſe totos precibus, excitandæque contritioni (cujus illis opportunè motiva ſuggeruntur) nec non pœnis à ſe peccatorum exigendis, impendant. Sacerdotes à Sacro faciendo tamdiu abſtinent, dum ſuis ſe peccatis exoneraverint. Ipſi nimirùm ad Miſſam, & Laici ad communionem

neni ùt ad omnium ultimam, ſe quàm accuratiſſimè diſponunt. Sub Confeſſionem monita ſuggeruntur aliqua; quæ ad praxim reducant. Invitantur maximè, ut animum apellant, ad regimen vitæ ſibi præſcribendum, bona propoſita ſcriptis mandanda & aliquam Teſtamenti formam conficiendam: Ijs nimirùm qui tales ſunt, ut hanc conficere vel poſſint vel debeant. Hanc autem auferant ſecum, ut ſibi non parùm profuturam: tùm ut tales in vita ſint, quales volunt in morte deprehendi: tùm etiam ut hinc excitentur acriùs ad exolvenda nomina, ſi quæ habeant; tùm denique, ut ſi mors incautos occupârit, exſcripta in chartis reperiantur unâ cum extrema in his quæ ad ſe ſuóſque ſpectant, ipſorum voluntate.

Juvat imprimis opportunitas domeſtici Sacelli, in quo ſacro interſunt, & Sanctiſſimum Sacra- 122.

men-

mentum ſub utriuſque præparationis tempus adorant omnes. Qui verò huc illos comitatur Pater, brevem, ſed ardentem addit cohortationem: in qua, oratione ad Christum præſentem identidem conversâ, vel ad eliciendum de peccatis dolorem, vel ad pium aliquem alium motum excitat. Serò autem poſt octavam; ubi facta peccatorum altera diſcuſſio, & dictæ in Aula communi Preces, aſcenditur in Sacellum, proponitur in Altari pia quædam imago aliquam Paſſionis Chriſti partem repræſentans, eáque & fusô deſuper oleô & Candelis ponè appoſitis pellucida. Quóque majorem erga diviniſſimam Euchariſtiam venerationem demittentis ſe corporis habitus faciat, terram omnes ante diſceſſum deoſculantur.

CAPUT XII.

De ingressu in hanc Domum.

UNus est omnium eôdem die in hanc domum ingressus. Quòd commodè ut fiat, singulis annis sub finem circumquaque in varia loca Typis impressum Programma dimittitur: quod ipsum dies singulos denotat, quibus annô proximô patebit ingressus. Et condicitur vulgò in diem Martis, quæ post primam & tertiam cujuslibet mensis Dominicam occurrit. Post primam quidem, quòd illa Dominica vulgò Sacerdotes ob Rosarij solemnitatem occupet; Dies verò Martis ideò designatur, ut qui sunt Sacerdotes post peracta in suis Parœcijs sacra, seu privata seu solemnia, dare se viæ statim possint: & triduum fermè conficiendo itineri habent, tantundem post peracta exercitia ad redeundum ante Dominicam sequen- 123.

quentem. Cognoſcunt ex dierum indice admitti poſſe Sabbato ante Dominicam Quinquageſimæ, qui Bacchanalium dierum periculo ſubducere ſe voluerint: item patere ingreſſum Sabbato ante Dominicam Palmarum ad Exercitia per S. Hebdomadam integram obeunda. Quò tempore longè maxima eſt ſe Exercentium multitudo, quamvis tota ſit ex Laicis. Convenêre anno ſuperiori ad octoginta: & ultimo ad quindecim ſupra centum.

124. Tantus verò rem unam agentium numerus eam præſtat faciliorem. Quòd enim multorum commune eſt, longè & ſingulis faciliùs. In has autem occupationes diſtribuitur dies. Sub exhortationem matutinam ab Clerico inter cæteros ſpectatiſſimo inchoatur Hymnus *Veni Creator*. Sub ſequitur deinde communis omnium Chorus. Sabbati verò die ſub Concionem ſerotinam Li-

Litaniæ Beatiſſimæ Virginis alternis decantantur. Tùm eô, qui in ſingulis emicat fervore animi, egregiiſque virtutum exemplis, ad Officium facillimè inducuntur omni cum perfectione obeundum. Monentur præterea, ut toto deinceps vitæ tempore, abſque ulla tamen obligatione, ſingulis diebus Hymnum *Ave Maris Stella*, pro vivis & defunctis pronuncient, qui ſe hac in domo exercuerunt: fore, ſe, ſi id penſi ſuſcipere velint, earum omnium precum quæ hìc fundentur, participes, non in vita modò, ſed etiam poſt obitum. Monentur etiam, eſſe in hunc ipſum finem quandam tùm Sacerdotum, tùm Laicorum inſtitutam aſſociationem; ut illi nimirum ſemel in anno Sacrum offerant; Hi ſemel miſſam celebrari curent, eódemque die ſacro ſe Pane reficiant. Neque verò ullus eſt ex illis, qui tàm Sanctæ Sodalitati accen-

censeri non velit. Quæ autem hactenus exposita sunt, postremus dies novo pietatis sensu claudit & cumulat.

CAPUT XIII.

Quâ ratione ultimus dies transigatur.

125. MAnè consecratur major Hostia, & in argentea Pixide adoranda proponitur, quam in idipsum Illustrissimus Episcopus est elargitus. Sub Sacrum canitur, *O salutatis Hostia.* Deinde faciunt ad Aram Sacerdotes. Qui in Sacello non possunt, vel in Collegij Templo, vel in aliquo è viciniorìbus, Sacrum peragunt. Quo etiam die Laici omnes ad Sacras epulas accedunt: licèt jam antè refecti. Horâ solitâ fit cohortatio: quâ pronunciatâ disceditur in Cubicula ad quartam vel mediam horæ partem. Mox Campanæ pulsu revocantur ad Sa-

Sacellum, interfuturi piæ admodum & auguſtæ Ceremoniæ, quæ incredibile eſt quantùm collectos toto Exercitiorum tempore pietatis ſenſus perficiat & confirmet. Præter expoſitum in Ara auguſtiſſimum Sacramentum, proponuntur præterea in oblonga menſa, eáque tapete decenter ornatâ, Sacra Biblia, Chriſti de Cruce pendentis effigies, cum Sanctorum reliquijs.

Tum Sacerdos unus inter eos, 126.
qui ſe exercuerunt ſpectatiſſimus, pretioſo ornatu indutus cum duobus Miniſtris, ſuperpelliceis item indutis, ad Aram accedit, ſumptóque præ manibus Auguſtiſſimo Sacramento ad aſtantes ſe convertit. Hìc unus è Patribus in linea quoque veſte, diviniſſimam Euchariſtiam demiſiſſimè cum cæteris veneratus flexis genibus, & ità aram reſpiciens, ut mediâ corporis parte obvertat ſe ad Aſtantes; brevi, ſed quantùm poteſt arden-

ti Oratione, ad mediam ferè horæ partem perorans, totam hujus Ceremoniæ rationem explicat: simul elicit varios animi pœnitentis actus, doloris videlicet de peccatis, fidei professionis, & firmissimæ Christo se deinceps addicendi pollicitationis. Docet, hanc cæremoniã eò spectare, ut si quid in Baptismo defuit, resarciatur: vel si ex hoc divinâ gratiâ excidimus, reparetur. Esse hunc nempe Baptismum Flaminis, qui qualísque sit, explicatur. Valere etiam ad restauranda, quæ in Confessionibus nostris fuerunt vitiosa. Hunc esse Contritionis actum, qui modo verus sit & perfectus, justificandi vim habeat etiam extra Sacramentum. Denique vim obtinere publicæ & animosæ protestationis, quâ profiteantur velle se Christo deinceps addictos, vitam & omni animi demissione, obedientiâ & cæteris virtutibus insignem, ducere.

Mo-

Monet, debere unumquem- 127.
que initiô vel in fine hujus Cæremoniæ terram deoſculari, ut hac corporis ſe demittentis ſignificatione Chriſtum in Sacramento præſentem ſupremum ſuum Dominum agnoſcant: oſculari etiam Crucem invitantur, ut conteſtentur non ſe pudori ducturos ſibi, cùm erit Crux ferenda: tum Sacris Biblijs manus & os admovere, quòd nempe duabus illis partibus ſæpius in Sacrarum Scripturarum contumeliam uſi ſint, velintque deinceps manibus & ore in divinam ſe gloriam impendere: denique Sanctorum Reliquias deoſculari, ut nempe profiteantur, conſtitutum ſibi eſſe, eorum vitam imitari, quorum Reliquias venerabundi deoſculantur. Præit ipſe cæteros ſuô exemplô, docturus quâ ratione peragenda ſit illa Cæremonia; tùm Sacerdos, qui facit ad Altare; ſequuntur Miniſtri, deinceps Sacerdotes & Laici,

gravi omnes modeſtia, magno pietatis ſenſu, & ferè ſemper lacrimabundi.

128. Peractâ Cæremoniâ denunciat Pater, placere & ratas haberi à Domino uniuſcujuſque pollicitationes; velle amantiſſimum Dominum novis eos in futurum beneficijs cumulare: in cujus rei argumentum ſua nos illum benedictione velle impetiri: tùm celebrans Sacerdos SS. Sacramentô benedicit aſtantibus, & mox in altari reponit. Quibus ità perfectis monet Pater, hæc omnia beneficia à Chriſto JESU in nos per Mariam derivari: ideóque & pro veteribus gratijs agnoſcendis, & novis impetrandis, ſalutandam illam Oratione, quæ incipit, *Salve Regina*, qua modulatis vocibus decantatâ ſubſequitur Oratio. Deinde omnibus confectis itur ad Prandium.

CAPUT

CAPUT XIV.

Quis tandem finis diei ?

HOrâ poſt meridiem alterâ fit 129.
poſtrema Exhortatio, in qua, nè deinceps peccandi ſe voluntate rapi ſinant, pro argumento Concionis ſumuntur æterna inferorum ſupplicia. Ad finem omnibus in genua pervolutis, oratione ad Beatiſſimam Virginem; mox etiam ad Chriſtum conversâ, orat quàm poteſt vehementi affectu, pro ſua miſericordia, neminem ex aſtantibus æternis illis incendijs addici patiantur. Quæ omnia communes omnium lachrymas fere ſemper eliciunt. Tum accenduntur Cerei, canitur *Te DEUM*. Quem ſequitur Oratio pro agendis gratijs. Monentur poſteà omnes, tacitè apud ſe contritionis actum elicere conentur, ut comparent ſe ad eas recitandas Preces, quæ ad obtinendas Indul-

gentias sunt impositæ. Indicatur recitandum quinquies *Pater & Ave* ad Ecclesiæ intentionem. Quibus recitatis modulatè canitur, *Tantum ergo Sacramentum.* Sequitur Benedictio, quâ impertitâ, reconditur in Tabernaculum SS. Sacramentum. Deinde induto stolâ nigrâ celebrante, canitur *De Profundis*, pro Defunctis omnibus, qui hac se in domo exercuerunt.

130. Ad ultimum monet Pater, piam hìc esse & laudabilem consuetudinem, nimirùm ut primorum Christianorum exemplô, omnes antequam ab invicem discedant, mutuô se amplectantur: idque in perfectæ Caritatis, & omnis ex animo sublatæ simultatis indiciũ. Integrum tamen cuique esse, eo charitatis Officiô defungi, si velint. Cæterùm meminerint, Christum Filium DEI in Incarnatione naturam humanam arctissimè complexum, & quotidie in commu-

munione noſtrum unicuique pium Dominum ſe velut colligare. Primorum eſſe & Spectatiorum, minoris notæ antevertere, quòd ultimi & infimi apud DEUM gratioſi ſint, & ejus aliquando, ut ſperare fas eſt, in cœlo æternùm conſuetudine fruituri. Tum ſe omnes magnô demiſſionis & jucundiſſimæ charitatis exemplô amplexantur.

Poſt mutuos ad hunc modum 131.
amplexus Pater quàm demiſiſſimè poteſt ab omnibus veniam pro ſe, & duobusSocijs petit de ijs, in quibus minùs eſt à ſe erga illos ſatisfactum. Spondet etiam, quamdiu & Socij & ipſe vivet, forè ſibi curam, DEUM pro eorum ſalute deprecandi. Denique antequam abeant, rogat Pater, ut pro mutua qua ſe complexi ſunt charitate, brevi precatione unum à DEO petant, nimirum nullus ut ex cœtu æternùm damnetur, ſed mutuâ ſocietate cœlis aliquando gaudeant.

ant. Recitatur in hanc rem à singulis semel Oratio Dominica cum Salutatione Beatissimæ Virginis. Quibus dictis, iterum ad terram strati eam humillimè deosculantur. Tùm verô abscedunt inviti propè, dulci devotionis sensu toti perfusi, & ad suam aliénamque salutem omni ope juvandam & curandam mirum quantùm animati. Atque ità illæ exercitatione finiuntur.

132. Jam verò quantùm hæc omnia molliant animos, quàm fortiter excutiant, si quid vel tædij vel tepiditatis inhæsit; quantùm concepta toto illô octiduô DEO liberaliter serviendi consilia confirment; quantùm ad perfectam animorum conversionem, qui nostrarum exercitationum finis est præcipuus, juvent & serviant; quàm blandè denique invitent ad eadem Exercitia subinde repetenda, & ad suum propositum cùm alijs communicandum, quivis co-

gi-

gitatione faciliùs, quàm nos oratione, complectatur.

CAPUT XV.

Concluditur totum opus diſſertatione,

Quâ ſuadetur fidelibus, ut ſolitudinem ſanctam Exercitiorum Spiritualium ingrediantur.

NOn abſque injuria commu- 133.
nis parentis naturæ vituperantur deſerta & ſolitudines, dum veluti quædam horrorum patriæ, & orbis exilia, vel tanquam otioſæ ac pigræ, nihil ad bonum univerſi conducentes appendices à ſuperba mortalium ambitione extra mundum rejectæ contemnuntur. Cùm tamen auſtera illa ſolitudinum facies maximè officioſa ſit curatrix humanæ ſanitatis, etiam in ipſa illa ſua, quam præſefert ſterilitate, ampliſſimám, inſtructiſſimámq; aperiens medicamentorũ officinam, quẽadmodũ teſtis eſt ſe-

cretus naturæ hiſtoricus, *nè Sylvæ*
Plin. l. 26. Hiſt. natur. c. 1. *quidem, horridiórque naturæ facie medicinis carent, Sacrâ illa parente omnium nuſquam non remedia diſponente, ut medicina fieret etiam ſolitudo ipſa*; Et virtus herbarum, & arborum folia, frondes & fructus, & radicum, ſeminúmque vis quôdam ſpiritu medicô vegetantur; quin etiam petræ ipſæ, vermiculi, atque monſtra ipſa (quis crederet?) vi ſalubritatis humanæ magìs, quàm vitæ propriæ animantur vigore.

134 Sed parùm eſſet, ſi corporibus duntaxat medicinam pararet ſolitudo, nisì etiam ægrotantibus remedia propinaret animis; ſilentia illa ſolitaria procul à tumultibus urbicis, à ſtrepitu forenſi, à contentionibus Curiarum, & faſtidioſis rerum domeſticarum muſſitationibus diſcreta, quid nisì leniter inducunt amæniſſimam fatigato animo tranquillitatem? Umbræ illæ frigentes, quid nisì diſ-

dissipatis nubibus affectuum sinistrorum, fumis passionum, ac vitiorum vaporibus depressis auream infundunt menti serenitatem? Denique Sylvæ illæ profundæ lectulos, veluti nidulos pandunt curis vacuos, & rudes illi stipites ramos porrigunt aureos, quibus campos Elysios beatissimæ quietis aperire sibi valeat ærumnosa mortalium conditio.

Neque jam opus est procul 135.
relictis urbibus, remotas Nitriæ atque Thebaidis petere solitudines: nôrunt enim verò domesticas eremos, atque civilia sibi fabricare deserta grandes & sublimes animi, quibus divinum os illud inscripsit encomium: *ædifi-* Job. 3.
cant sibi solitudines. Quot in Urbe 14.
populosa, Religiosorum suscitantur claustra, ædésque sacræ, tot ab omnibus ventorum turbis, mundíque tempestatibus tutissima panduntur sanctuaria, in quibus per dies aliquot ab inquieto sæculi,

li, negotiorum; amicorúmque ſtrepitu ſegregata mens, ſaluberrimam, ſumméque neceſſariam invenire poteſt vitæ correctionem, animique medelam certiſſimam, *ut medicina fiat etiam ſolitudo ipſa.*

136. Ad brevem hujuſmodi receſſum invitat ipſa rei tractandæ gravitas, videlicet negotium de anima, de æternitate, de ſuprema in cælis beatitudine, quod facilè turbari poteſt ab inquieta terra. Converſationes mundi venenô multô abundant, eóque ſublimes etiam cogitationes, & deſideria planè cæleſtia inficere ſolent, ſerpentibus illis perſimiles, qui ad radices Olympi montis adeò intoxicant halitibus aërem, ut prætervolantes aves enecent, atque in ora hiantia cadentes abſumant: *Emergunt atque hiant, ſupervolantéſque aves, quamvìs altè & perniciter ferantur, abſorbent.* Si cogitationes ſublimes veluti columbæ Noë al-

Pompon. Mela. l. 2. c. 6.

altiores diluviô corruptionis humanæ, omnémque labem terrenam dedignentur: si cogitationes generosæ atque magnanimæ, veluti aquilæ alarum magnarum excelso libani iminentes cacumini, medullis cedrorum vitæ perfectioris inhient, procul ab illis arceantur ora contaminata, quorum dissertationes venena, consilia mortes & cadavera spirant; *Sepulchrum patens est guttur eorum.* *Psal. 5. 11.*

137. Ut igitur mundani strepitus non perturbent vocem loquentis Numinis terrenáque caligine non prepediantur illustrationes cœlestes; aliqua solitudo, & à consortio humano sui ipsius retractio imprimis necessaria est; quandoquidem hic mos Divini sermonis est, non nisì in solitudine loqui ad cor audientis, ùt in sacris Paginis protestatur: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* *Oseæ. 3.* Sed vox divina muta est, & surdum cor humanum, quàm diu strepunt

ſenſus, aut negotia terrena tumultuantur. Nam oraculô Gregorij,
Greg. l. 23. Mor. c. 12. *Unde homo exteriùs auditum aperit, interiùs obſurdeſcit.* Jūgatur ſolitudini cordis ſolitudo habitationis, ut in hoc parvo deſerto alloquatur anima petram vivam, quæ Chriſtus eſt. O! quàm brevi copioſæ miſericordiæ fontes erumpent? *Loquimini ad Petram, & dabit aquas ſuas?* (Num. 20.) O! quàm uberes benedictiones collectus in ſeipſum animus, Deóque in ſolitudine adſtrictus, & ad luctam accinctus obtinebit! interno ille manifeſtabit lumine, dicique poterit de hoc ſolitario, quod de Moyſe affirmavit Gregorius: *Poſtquam in deſertum fugit, quaſi ab inquietis deſideriorum terrenorum tumultibus obdormit, & ideo vocem divinam percipere meruit.* (Greg. l. 28. Mor. c. 10.)

138. Ad grandia negotia ritè pertractanda, qualia ſunt illa, quæ nunquam deſituram aut felicitatem & gloriam, aut calamitatem & igno-

mi-

miniam tangunt, magnâ opus eſt ſobrietate & ſerenitate; neque unô alteróve duntaxat horæ quadrante moles tanta rerum æternarum rectè proſpici & perſpici valet; & idcirco ſpecialis DEI favor eſt, initiúmque ſalutis, inſtinctus ille, quô anima ſe revocare in ſeipſam, atque ſuis de rebus agere cupit, ſola in cubiculo ſecreto habitatura. Ita faciebat immortalibus digna honoribus heroina Bethuliæ, *Quæ in ſuperioribus domûs ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum.* *Judith. 8. 5.*

139. Et nonnè minuta hæc ſolitudo ſecretum fuit Amazoni iſti armamentarium ad exterminandum Holofornem, & profligandum exercitum Aſſiriorum? E cubiculo iſto ſecreto prodit in campum plena ornatu ac venuſtate: neque in vanum colores in vultu, monilia in collo, ſandalia in pede, velut novus & inſolitus militiæ apparatus: aureæ quoque armillæ inter haſtarum enſiúmque ſylvas: è ſerico & auro contexti panni inter Caſſides & Loricas: candidæ ceruſſæ, rubentéſque Cinnabares inter militares ardores ornamenta fuêre, quibus armata mulier Holoferni eſſet metuenda magìs, quàm ſi truci ornata fuiſſet chalybe. Blanda hæc ornamenta, validiſſima contra impium Ducem fuêre arma, quem teſte Auguſtinô *moniliorum tela ferire* *S. Aug. ſer. 229 de temp.*

vire didicerunt. Nimirum in ſolitudine ſancta ipſa pulchritudo & venuſtas, atque ornatus animæ in arma & inſtrumenta convertitur victoriæ.

140. Cubiculum hoc ſecretum, hoc parvum deſertum in libello iſto indicatum & apertum habes Lector humaniſſime; nihílque aliud eſt, quàm octiduum illud, quô Philoſophiæ cæleſti per Exercitia Spiritualia S. Ignatij vacatur. Chare Lector, ſi Clementiſſimus DEUS tam grandia bona Spiritualia operatus eſt; atque etiamnum operari non ceſſat in ſolitudine Exercitiorum S. Ignatij, non mihi perſuaderi ſinam, te aut intellectu ità obtusô, aut voluntate ità eſſe obſtinatâ, ut neque perſpicias, neque approbes, & tibi exoptes aliquam ſaltèm portionem illorum bonorum, quæ in hoc opere legiſti. Quid igitur vetat octo, vel decem dies toti anno, aut vitæ forſan univerſæ à curarum temporalium ſtrepitu ſeponere, atque negotio æternitatis tuæ fortè jam vicinæ pertractando, in Exercitijs Spiritualibus addicere? Non ego te ad id compello, ſed hortor, oro, & obteſtor, tui ut curam geras, téque non negligas. Vitam utique etiam in terris beatam in votis & deſiderijs habes: ecce tibi pandent illam dies illi beatiſſimi, quibus in cubiculo

culo ſecreto de beatitudine tua cum Deo ages. Nunquid aliud tibi ſuadeo, quàm quod ipſe toto pectore adamâſti? *Vera enim ratio perſuadendi eſt, dum id poſcitur, ut impetremus à vobis, quod concupiſcitis,* agebat S. Præſul Eucherius. Ep. 1. Paren.

Hortatur ad id genus ſolitudinis, invitátque Sanctiſſimus in terris Chriſti Vicarius Paſtor tuus Paulus III. P. M. verbis graviſſimis in ejus Bulla ſuperiùs recitata: *hortantes plurimùm in Domino omnes & ſingulos utriúſque ſexûs Chriſti fideles, ubilibet conſtitutos, ut tam pijs documentis & Exercitijs uti, & illis inſtrui devotè velint.* Audi & Alexandrum VII. P. M. qui tum exemplô ſuô ac propriâ experientiâ, tum prœmiô ex theſauro Indulgentiarum propoſito ità paternè & amanter te invitat. Et quæſo te, recogita ſeriò, quòd annos jam multos corpori dederis; & quot in anno dies charæ animæ tuæ donâſti? Multa luſtra jam fortè numeras, quibus tibi ſerviviſti, rebúſque terrenis curandis: & num tempus in tota illa temporum ſerie DEO tuo quodpiam eſt deputatum? Totum fortè vixiſti obſequijs alienis, Principum, Tribunalium, aliorúmque Reipublicæ munerum: & an DEO vixiſti modicum? Eja igitur devotè Lector, Zelum D. Petri Chryſologi admitte: 141.

De-


Dedimus animæ dies ; impendimus tempora nobis : deputemus tempus Auctori : vivamus DEO paululum, qui Sæculo viximus totum : ſeponamus domeſticas curas. Paucos dies expendes, ut de æternitate tua ſecurum te reddas.

142. Claudat hanc diſſertationem devotiſſimis verbis ſuis magnus Theologus, & magnus Sanctus, Anſelmus, tibíque ſerviant pro amabiliſſima invitatione ad recedendum in ſolitudinem Sanctam & medicinalem Exercitiorum Spiritualium. En verba pretioſiſſima, atque ſimul graviſſima : *Eja nunc homuncio fuge paululùm occupationes tuas : abſconde te modicum à tumultuoſis cogitationibus tuis : abjice nunc oneroſas & poſtpone laborioſas diſſenſiones tuas : vaca aliquantulùm in eo, intra cubiculum mentis tuæ. Dic nunc totum cor meum, dic nunc DEO : quæro vultum tuum, vultum tuum Domine requiro.*

Eja nunc Domine DEUS, doce cor meum, ubi & quomodo Te inveniat !

A. M. D. G.





75

P.P

